

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 91-80190-11*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

VOGEL, FERDINAND

*TITLE:*

DE VITARUM PLUTARCHI

*PLACE:*

MAGDEBURG

*DATE:*

1858

Master Negative #

91-80190-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71

KZ

v.3

Vogel, Ferdinand,

...De vitarum Plutarchi lectione adolescentulis  
commendanda, pars I. Abhandlung von Ferdinand Vogel  
...Magdeburg, bei W. Heinrichshofen, 1858.

24 p. 24 $\frac{1}{2}$  cm.

At head of title: Programm des K. Domgymnasiums  
zu Magdeburg...

Volume of pamphlets

60540

Restrictions on Use:

-----  
TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm

REDUCTION RATIO: 13 $\frac{1}{2}$

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-16-91

INITIALS M. B.



FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




**AIM**

**Association for Information and Image Management**




1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910  
301/587-8202




Centimeter




Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.





88P71  
K/L

no. 1

# Programm

des

**Königlichen Domgymnasiums zu Magdeburg,  
zu Ostern 1858**

herausgegeben

von

**Friedrich Wiggert,**  
Director und Professor.

- Inhalt: 1. De Vitarum Plutarchi lectione adolescentulis commendanda. Pars I. Abhandlung  
von Ferdinand Vogel.  
2. Schulnachrichten.

20.

Magdeburg, 1858.  
Bei W. Heinrichshofen.



De  
**vitarum Plutarchi lectione  
adolescentulis commendanda.**

*Scriptis*

**Ferdinandus Vogel.**

Pars prior.

Qua laetitia accepto caedis a. d. XIV Cal. Oct. a. p. C. XCVI perpetratae nuntio orbis terrarum Romanorum exultaverit, quicumque Agricolae Tacitii legit prooemium, facile iudicabit. Adeo „tertium gentis Flaviae heredem“ omnes abhorrebañt, ut ipso quo occisus est die Apollonius Tyanensis Ephesi alta voce exclamasse crederetur καλῶς Στέφανε, εὖγε Στέφανε, παῖε τὸν μισαφόρον! Neque solum Romanorum scriptores sublato Domitiano quasi respirasse videntur ac revixisse: Tacitii Plinii Juvenalis Martialisque voces exaequat gaudium, quod de felicioris initio temporis et Dio Chrysostomus, tunc ipsum exulans, professus est, et Plutarchum Chaeronensem, etsi quo erat pudore non aperte prae se tulit, ac certe sensisse ex omnibus ejus libris perspicimus.

Simulatque igitur Nerva atque Trajanus quasi lucem humano generi coeperunt affundere, et Plinius et Tacitus et Plutarchus prorsus novam scribendi rationem ingressi sunt. Quorum graecus scriptor, tunc XLVI fere annos natus, qui antea Ammonii exemplum secutus paene totum philosophiae studiis se videtur dedisse, fortasse a Sosio Senecione Romam invitatus, praeter eam operam, quam in scholis navare philosophiae studebat, ad historias quoque conscribendas animum applicare coepit, ita tamen ut tam philosophiae quam historiae leges ea in re spectaret. (Novas enim historiae scribendae rationes plurimi Graeci illo tempore quaerebant, quibus lectorum satietati occurrerent: ut Appianus, qui Romanorum bella secundum regiones partitus est, in quibus gesta sunt.) Plutarchus igitur, longe remotus ab annalium confectione, quae jejuniore ei videbatur, illustrium virorum et Graecorum et Romanorum vitas ita delineavit, ut singulis opusculis Graecum et Romanum componeret. Qua in re minus id secutus est, ut quam simillimae vitae homines eligeret et singula congruentis fortunae capita auxie conquireret<sup>1)</sup>, sed modica quadam totius duorum virorum vitae contentus similitudine hoc sibi proposuit, ut et antiquam Graecorum gloriam illustraret, (nemo enim majori quam Plutarchus dolore videtur perspexisse, a quo splendore ad quam vitae atque animorum exilitatem Graeci delapsi essent, „populi Romani, condicione socii, fortuna servi“ [Cic. 2. Verr. I, 81]<sup>2)</sup>) et populares ad imitanda veterum exempla excitaret, inprimis domesticae ac privatae vitae virtutum,<sup>3)</sup> et Romanos, apud quos multum valebat, non solum a contentu Graeculorum demoveret, verum etiam ipsos ad majorum virtutes renovandas cohortaretur. Denique

88P71

KZ

v. 3

prodesse humano generi praeceptis atque exemplis ad conformandam vitam aptis maluit Plutarchus, quam speciosa aliqua historia elimanda ingenium suum nobilitare: a quo conatu etiam ingenua quaedam modestia eum deterruit atque admiratio veterum scriptorum, quos neminem posteriorum assequi posse saepe affirmat, quorumque libris aliquot tantum res ab iis omissas sese adiecturum proficitur<sup>1)</sup>. Tali quidem ex consilio scriptoris facile dispicitur, et cur hos potissimum antiquae historiae viros elegerit et cur mores animosque eorum accuratius depinxerit quam quae in republica praeclare aut turpiter fecerunt.

<sup>1)</sup> Phoc. 3 ut rarum aliquid in opere suo maximam fuisse eam dicit similitudinem, quae inter Phocionis et Catonis minoris vitas intercesserit. Omnino ea operis Plutarchii pars, quae emarrationi annexa de similitudine virorum agit, semper exilissima est ac pessima, nulla vero illarum comparationum magis ridicula quam Solonis et Poplicolae Desunt etiam in aliquot virorum paribus: in Themistocle et Camillo, in Pyrrho et Mario, (quos quidem componere non minoris est audaciae quam Periclem et Fabium!) in Alexandro et Caesare, denique in Phocione et Catone; verum horum comparatio aliqua prooemio Phocionis continetur.

<sup>2)</sup> De Pyth. orac. III, 133 (ed. T.): — ἐπὶ πράγμασι μικροῖς καὶ δημοτικοῖς ἐρωτήσεσι (nunc ad Pythiam afferuntur a Graeculis, non ut olim, de republica gerenda,) — εἰ γαιηπέον, εἰ πλευστέον, εἰ δανειστέον. Totus libellus qui inscribitur reip. ger. praecepta vitae Graecorum illius temporis tenuitatem depingit, (imprimis V, 85 et 112: τὴν τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ἀσθένειαν, ἣς ἐναπολαῦσαι ἄμεινόν ἐστι τοῖς εἰ φρονοῦσι καὶ μεθ' ἡσυχίας καὶ ἀριονίας καταβιώναι.) cum ingenuo tamen dolore animi, non ita jocose ut Lucianus fecit in libro de mercede conductis. Eadem est ratio libri de defectu oraculorum, in quo III, 145 τὴν τῆς Ἑλλάδος ὀλιγανθρίαν deplorat. Quis non in legendis ejus libris omnibus praeclari illius epigrammaticis meminerit, quod Antonius Argivus fecit (Anth. IX, 102.):

Ἡ πρὶν ἐγὼ Περσῆος ἀκρόπολις αἰθερίοιο,

Ἡ πικρὸν Πυθίαις ἀστέρι θρηναμένη,

Ἀπολοῖοισιν ἔναυλον ἐρημαίοισιν ἀνέγμυι,

Τίσινα Πριάμω δαίμοσιν ὄψε δίκας. (Cf. IX, 151, vel pulchrius illo.)

Similiter jam et Sulpicius ad Iceronem et Ovidius:

Vile solum Sparte est: altae cecidere Mycenae.

Oedipodioniae quid sunt nisi fabula Thebae?

Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?

<sup>3)</sup> Reip. ger. praec. V, 88: ταῦτα (privatae vitae virtutes) ἔξεστι καὶ τῶν ζηλοῦντας ἐξομοιοῦσθαι τοῖς προγόνοις, τὸν δὲ Μαραθῶνα καὶ τὸν Εὐρυνέδοντα καὶ τὰς Πλαταιὰς καὶ ὄσα — οἰδεῖν ποιεῖ καὶ φρονάττεσθαι διακενῆς τοῖς πολλοῖς, ἀπολιπόντας ἐν ταῖς σχολαῖς τῶν σοφιστῶν. Sic in Aratae vitae, quam Polycrati ab Arato genus ducenti misit, prooemio dicit, se maxime spectasse ad instituendos et excitandos ejus filios Polycratem et Pythoclem. Eandem ob causam eos viros propemodum solos elegit, qui maximam partem laude ei digni viderentur, (cf. Paul. 1. Per. 1. Χρῆ διώκειν τὸ βέλτιστον.) Demet. 1 proficitur, consulto se per paucos immiscuisse, quorum vitis virtutes obscurarentur; verum conducere ad formandos legendum animos, semel etiam δύο ἐπιφανεῖς εἰς κακίαν contemplari,

quo magis integra virtus amaretur. — Adeo quidem popularibus suis quasi paterna cura consulit Plutarchus, ut, ne malo Romanorum exemplo sui traherentur, propriis libris eos et a carnis balnearumque nimio usu (de tuenda san. I, 284—319; verum Oratt. II de esu carnum V, 507—521 dubiae sunt originis Plutarchoque propter multas ampullas indignae —) et a gladiatorum immanibus studiis avertere conaretur, adolescentes ad venationem potius exercendam cohortando. De venat. VI, 392: οὐχ ἥμισυ τὴν θρηνητικὴν ἀξίον ἐπαινεῖν, ὅτι τοῦ — χαίρειν μάχης ἀνδρῶν πρὸς ἀλλήλους — τὸ πολὺ δεῦρο τρέψασα καθάραν παρέχει θείαν. Atque ita liberrime scripserunt et Plutarchus et Dio Chrysostomus, quanquam ipse Trajanus gladiatoribus gaudebat. (Dio Cass. LXVIII, 10.)

<sup>4)</sup> In prooemio Niciae c. 1 totam consilii sui rationem exposuit: sese non, ut Timaeus fecerit, ridiculum quoddam inire certamen cum summis scribendi artificibus, (quorum Thucydidem vocat αὐτὸν αὐτοῦ περὶ ταῦτα [lib. VI. VII] παθητικώτατον, ἐναργέστατον, ποικιλώτατον γενόμενον,) ἐμοὶ δ' ὅλως ἢ περὶ λέξιν ἄμιλλα καὶ ζηλοτυπία πρὸς ἑτέρους μικροπρεπὲς φαίνεται καὶ σοφιστικόν, ἂν δὲ πρὸς τὰ ἀμίμητα γήνηται, καὶ τέλος ἀναίσθητον. Deinde: Ἄς γοῦν Θεουκλίδης ἐξήνεγκε πράξεις καὶ Φιλιστος — μάλιστα γὰρ τὸν τρόπον καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων παθῶν καλυπτομένην παρεχούσας — brevius se narresse: τὰ δὲ διαφεύγοντα τοῖς πολλοῖς, ὑφ' ἑτέρων δ' εἰρημένα σποράδην, ἢ πρὸς ἀναθήμασιν ἢ ψηφίσμασιν εὐρημένα παλαιῶς, πεπεράμεναι συναγαγεῖν οὐ τὴν ἀχρηστον ἀθροῦζον ἱστορίαν, ἀλλὰ τὴν πρὸς κατανόησιν ἡθῶν καὶ τρόπου παραδιδούς. Similiter de suo artis genere disserit Galb. 2. Artax. 8. Alex. 1 — οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν ἀλλὰ βίους. Cat. Min. 24. 37. Speciem quandam summae quam in suo genere assequi liceret praestantiae proposuit de glor. Ath. II, 431: ὁ τὴν διγγῆσιν ὡσπερ γραφὴν πάθει καὶ προσώποις εἰδωλοποιήσας. — Duas igitur res pollicetur, utilissimas illas quidem etiam nostris adolescentulis, non solum iis, quos ipse scriptor spectavit: et idoneam ad propriam regendam vitam morum descriptionem et suppeditationem rerum ad mores dispiciendos necessariorum et omissarum a Thucydide Xenophonte Philisto aliis. Neque caret scriptor ingenua aliqua suae ipsius artis aestimatione, quippe qui Per. 1 censeat χρῆ διώκειν τὸ βέλτιστον (μόνον) et c. 2 judicet, contemplationem virtutis summorum hominum, qualem ipse legendibus praebeat, (quam Paul. 1 συνδιαίτησιν appellat,) praestare cognitioni omnium artificum operum, quia sua tantum ars μιμητικὸς homines efficiat. Sic Demet. 28. Ant. 29 altiore quandam attribuit suo historiae generi dignitatem. — Verbis quidem illis ἢ περὶ λέξιν ἄμιλλα σοφιστικόν praesensisse videtur exile illud et minime frugiferum trium saeculorum insequentium, quae τὰ σοφιστικά dicuntur, studium in imitandis atticae dictionis minutis collocatum: quam tamen admonitionem Graeculi plurimi, qui post eum scripserunt, minime curaverunt. Permultis aliis locis Plutarchus sophistas et sui temporis, quorum regnum jam imminebat, et veteres irrisit: de se ips. c. inv. laud. III, 442 eorum vanitatem, de glor. Ath. II, 439. 440 de vit. pud. III, 421 Isocratis σοφιστικὴν μικροφροσύνην et hiatus timorem, de recta rat. aud. I, 97 eos perstringit, qui tantum λέξεις Ἀττικὰς, non cogitata conquirant, I, 101 jam thronum illum sophistarum commemorat; I, 103 exilia eorum argumenta pervellit, ut ἐμέτων ἐγκώμια cet.: qua in re adolescentuli Dionis opuscula videtur spectasse.

Aperiunt igitur vitae Plutarchiae et egregium ejus animum, non solum philosophiae studio exultum, sed natura optimum hominumque amantissimum, et maturum quandam fructum immensorum profecto prioris vitae studiorum. Quo cum accedat, quod scriptor in ipsa ingenii vitaeque maturitate, post XLVI. ante LXIV. aetatis annum totum opus confecisse videtur<sup>1)</sup>, mirari non possumus, quod tanta existit horum librorum in suo genere praestantia.

<sup>1)</sup> Popl. 15 Num. 19 turpissimam inurit Domitiano notam: scripsisse igitur eum post a XCVI verisimile est. Ante a. CXIV, quo Trajanus imp. expeditionem Parthicam suscepit, confectum esse totum opus ex his videtur locis concludi posse: Sull. 21. a pugna Orcho-  
menia, (a. LXXXV secundum Mommsenium commissa,) ad sua tempora σχεδόν duo saecula computat, i. e. ante a. CXVI scripsit Ant. 34 est: „Ventidius adhuc solus de Parthis triumphavit“, ubi nulla Trajani fit mentio. Luc. 36 Euphrates terminus Imperii R. dicitur, quem Trajanus usque ad Tigridem promovit. (Cf. etiam Dem. 2.) Quodsi consideramus, et Trajanum jam a. CIII de Parthica expeditione cogitasse videri: [Plin. Ep. X, 16 necessitatem quandam, quae inter Decebalum et Pacorum intercedebat, ut periculosam Romanis statim indicat Imperatori; et Parthos tandem aliquando frangendos esse spes ab Judaels a. LXVI ad LXX in iis repositae docuerant:] et Plutarchum de nullo externo populo accuratius et acerbius loqui, quam de Parthis, (cf. Sull. Lucull. Crass. Anton.), fortasse scriptor cum incitare Trajanum ad ulciscendas Crassi Antonique clades voluit tum populo Romano demonstrare, diutius differri Parthicum bellum non posse. Videtur autem imprimis Graecas civitates (ut Seleuciam) Parthis subjectas liberare voluisse, nam barbarorum jugum Graecis intolerabile esse aperte dicit Luc. 21: *ἦν γὰρ οὐκ ἀνασχετὴ τῶν Ἀρμενίων ἢ ἀρχὴ τοῖς Ἕλλησιν.*

Quo magis, quisquis et adolescentulorum animos et Plutarchi vitas accuratius novit, mirabitur quod in multarum scholarum lectione nunc omnino fere jacent: tanquam ipsius modestia nimia, qua sua sponte longissimo intervallo cedit Thucydidi atque adeo Xenophonti, ei nocuerit, cum prodesse debuerit in tot scriptoris virtutibus. Jam J. A. Fabricius (cf. praef. hortuli graeci Jo. Dav. Schreiberi, Lips. 1710 editi) ita queritur: tantum optarem, ut plura ex praeclaris ejus monumentis separatim exstarent excusa in juventutis usus, neque voluminum magnitudine fieret, ut scholis omnibus et juvenum fere Musels exulet Plutarchus. Quanto sapientius Phil. Melanchthon! qui vix Vitebergam venerat, cum (a. 1519.) libellum de puerorum institutione edidit: non quod hunc potissimum (magis parentibus quam adolescentulis aptum) optime elegerit, sed impellere alios ad legendum et tractandum Plutarchum in animo habuit.

Acutissime sane Fabricius tribus illis verbis „in juventutis usus“ de eo praestantiae genere judicavit, quod Plutarchi vitis vere tribuendum est. Omnes enim earum virtutes ejusmodi sunt, quae si non, ut Thucydidis Polybii Taciti, maturo ac virili ingenio historicique generis intelligenti satisfaciunt, (quippe nemo nunc tanta laude cumulabit Plutarchum neque Vict. Strigelio assentietur dicenti: vitas Plutarchi medullam historiae graecae et Latinae esse, et post sacra biblia nullum librum magis amari debere [cf. praef. hort. Schreiber.] at certe ad adolescentulorum animos et conciliandos et conformandos maxime habendae sint idoneae. Sed, priusquam plurimas generis Plutarchii virtutes enumeremus, de iis vitis, quae ei objici solent, breviter agendum videtur et inquirendum, sintne tanta ac tam merito ei attributa, ut is scriptor, quem Euna-

plus (in praef. libri de vitis sophist.) φιλοσοφίας πάσης Ἀφροδίτην καὶ λύραν, quem Dan. Heinsius (Orat. VIII) ipsum Compendium scientiae, prudentiae thesaurum, divinum quandam promicondum dixit, jure a lectione adolescentium in scholis exclusus videatur.

Tria Plutarchi vitis plerumque tribuuntur vitia: primum (I) in scribendi genere, quod Groddeckio (H. L. Gr. II, 66) non raro „dictionis affectatae et nimis coarctatae tumore displicet, quodque Bernhardyus (H. L. Gr. I, 354 348) propter periodos nimis longas contortasque et ob nimium verborum compositorum, quin etiam bis ac ter compositorum usum atque ob delectum verborum minus elegantem notavit, ita ut Polybii, Dionis Chrysostomi, Plutarchi ingenia praestare scribendi arti communiter judicaret. Deinde (II) idem Bernhardyus (I, 401) et Plutarcho et Philoni et Apulejo superstitiosum quoddam studium attribuit, quod δαιμονολογίαν vocant, veteres ac populares religiones platonica subtilitate stabiliendi atque omnia ad daemones suorum potentiam referendi. Tum (III) ad unum omnes nostrae aetatis scriptores, quotquot auctore Plutarcho utuntur, ἀκρισίαν ejus, imprimis in rebus ad reipublicae administrationem spectantibus, atque temporum notationem minus accuratam accusarunt: ex quibus lenissime eum tractavit Droysenus (Hell. I, 676). — Quae quidem crimina aut elevari possunt, aut, si concedi necesse est, sunt ejusmodi, quae utilitati Plutarchi in scholarum lectione minime officiant.

I. Ac primum quidem, quae et Groddeckius et Bernhardyus et multi alii dictionis generi plutarcho objecerunt, nemo erit qui neget omnino: haud raro Plutarchus, vere, is quidem aeoli ingenii non minus quam popularis ejus Pindarus, quasi in nubes ascendit et, quanquam ipse τὴν σοφιστικὴν λέξιν irrisit, (Nic. 1.) nimios verborum flores colligit, nec minus saepe periodos ultra justum modum distendit et a simplicitate xenophonica alienus compositis nimis gaudet vocabulis<sup>1)</sup>. In delectu tamen verborum nihil fere discedit ab Atticis, integritate sermonis superior et Polybio et Diodoro et maxime Dione Cassio; paucissimis usus est aut poeticis aut posteriorum saeculorum verbis: quo quidem vitio poeticorum usus vocabulorum, si vitium est, et Plato et Xenophon et (si Dionysio Halic. credimus) ipse Thucydides laborat<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Velut sine ulla necessitate quasi aristophania cum licentia utitur v. νικητεροῦντες Caes. 50. χρονοτριβὴν τὸν πόλεμον. Cat. 53. τῆς Ῥώμης ἀναξιοπαθούσης. Cat. 59. ἐμπειροπόλεμος. comp. Tim. Paul. 1 (v. prorsus pindarica, ut Pyth. II, 1 fluxit βαθυπολέμου τέμενος Ἄρεος.) Verum vacat a plurimis polybianae dictionis monstris: nunquam dixit τελειουργῆσαι τὴν κατάληψιν (5, 4, 10) et similia.

<sup>2)</sup> Saepius inveniuntur haec: e poeticis verbis, quae Diffurtius (in vocab. gr) ab usu solutae orationis secrevit: κραδαίνω (Aut. 37 et creberrime; est enim in deliciis Plutarchi,) ὀρούω Cat. Maj. 13. νειμεσῶν comp. Pel. Marc. 3. διανάω Paul. 14 νάμα. Oth. 11. φάος (v. magis poetarum propria) Marc. 19. αἰδνής. Thes. 1. λῆμα (v. poet. et ionica,) Caes. 17. μανιάκης, torques, (v. polybiana) Cim. 9. ἄλως = σχολή Pyrrh. 13 et saep. (v. plutarchia) θανααστοῦν Pomp. 53.

Addi possunt et nova quaedam in conjungendis verbis et formae aliquot verborum non atticae: praeter quas tamen etiam atticis plerumque et saepius quidem utitur. Verumenimvero talesne ob minutias scriptor in primariis rebus praestantissimus anxie removendus est ex adolescentulorum manibus? Quae si lex valeret, ante omnes Tacitus exterminandus esset ex scholis, qui et

a Cicerone longius recedit in dicendi genere quam Plutarchus a Platone, et fortasse non tantum prodest juvenum animis quantum Chaeronensis. Sed si qui forte Aristarchus propter paucissimas illas maculas eximescat, ne legendis Plutarchi vitis discipulorum attica dictionis integritas, (quae plerumque non ita magna est,) foede inquinetur, nonne caveri ita poterit ut, quae formae ac verba Chaeronensis ab atticis discrepant, antequam ipsa procedat lectio, ad ediscendum ac vitandum discipulis proponantur, sicut fit in Homericae initio lectionis? <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Liceat ad avertendam talem calamitatem hic pauca, quae Plutarchi sunt propria, maximo cum horrore vitanda proponere.

Jungit ὄφλων τῶν Ἀρπαγείων comp. Dem. Cic. 3. ἄρχοντος ἀγαθοῦ χεῖρῶν Fab. 17 (ut Soph. Aj. 473.) τῆς βραδυτῆτος αὐτοῖς ἐνεκάλει Arist. 10.; quin etiam, (ex Romanorum usu) ἦν ἐλπίδος μεγάλης. Nic. 18. ἦν ἀξιωματος μεγάλου. Ant. 58. Opponit inter se, ut posteriores Attici, οὗς μὲν οὗς δέ.

Formas pejoris notae habet hasce fere: σκέπτεσθαι (Flam. 3. Nic. 4. Phoc. 5.) et contra περισκεπόμενος Pel. 32. τέτυχε. Alc. 1. de gen. Socr. IV, 69. γαμησομένης, Eum. 3.

= μαχησόμενος Ant. 39 (διαμαχοῦμενον Cic. 16.)

νεμίσσεται Ant. 55. (cf. Appian. bell. civ. 4, 3 διανεμίσσεται.)

ὀμόσων Cic. 23.

παραγῆχουσι Phoc. 17

διαρπαγισομένη Oth. 3 ἀφρηπύγη. Luc. 13 (ἐρηπύθησαν Tib. Gr. 11.)

ἀπεκτονήκοι. Tim. 16 (ἀπεκτόνοι Artax. 14.)

προσπαύζαντες Arat. 18 (aeolii usus vestigium?)

παύζας Cleom. 26. πεπαυμένα Fab. 15.

ἀπηγγέλη. Galb. 25. Crass. 28 (ἀπαγγελθείσης Oth. 7.)

[sed pro εἰσγγέλε Cic. 19 leg. -λλε?]

τυφθεῖς. Galb. 26.

βιάσας. Artax. 30 et saepiss. (καταβιῶναι. Philop. 18. Relp. ger. praec. V, 112.)

κατακαῖναι Num. 22. διακαίς Cat. 7 Oth. 6 (cf. Soph. El. 757 κῆαντος.)

κατακαυθέντος. Sol. 32.)

ἔζησα. Brut. 40. Cic. 22. Tim. 38.

ἔζηκα Ant. 84.

ἐχέωρησε. Luc. 25 (cf. Polyb. 30, 16, 1 συγχεωρησόμενος.)

ὀδῶς Ant. 28 de sera n. v. IV, 42.

(οἶσθα de coh. ira III, 256.)

κατεφθινώκτος. Cic. 14. καταφθινώσας. consol. ad Apoll. I, 272.

καθεσθεῖς (εἰς γόνυ) C. Gr. 16.

δοσι saepiss.; δεκαδύο Tib. Gr. 1.

γίνομαι saepius quam γήνομαι (ut jam Isocrates.)

δυσκολᾶναι Cat. Maj. 1

= κραδᾶναι Alc. 15.

ἐκκαθᾶραι Ages. 28 (aeolium vestigium?)

ἀπολαύσετε Pyrrh. 13

= ἐπιανέσεις de vit. pud. III, 413 (Soph. El. 1057.)

[pro κεκλυγώς Tim. 26. leg. -γγ-?]

πέπληγα = vapulavi Luc. 9.

ἐπεπλήχθη. Gall. 17.

In augmenti ratione: ὀκοφθόρησε Alc. 23

= ὑποικούρει. Luc. 34 (si l. sana.)

ὠνήσατο Nic. 10. Ant. 10

(βιωνήσατο Cic. 3)

ἔξηλέγηθαι Cat. 64.

f. rariss.: ἐκνήψας Dem. 20 ἀνανήψαντες Cam. 23.

Saepe ὑγεία, ταμείον, sed etiam ὑγεία, ταμείον. —

(Formas ex libris qui Moralia dicuntur addere longum est, ut εὐραμένη de gloria Ath. II, 428.

καταγέλισης Apophth. II, 16 (si l. sana) al.)

Quod periodorum ejus conformandarum rationi jure objectum est, haud raro nimis longas evadere, minime hos libros a scholarum usu excludet: siquidem adolescentulis jam paulo provectoribus, non tironibus hi verborum ambitus legendi erunt, qui certe a Xenophontis enuntiatas nimia simplicitate animos fatigantibus ad ejusmodi lectionem libentissime procedent. Accedit quod in longissimis comprehensionibus ἀνακόλονθα vitavit<sup>1)</sup>, quibus ne Ciceronis quidem libri de philosophia scripti prorsus vacant, (velut de Div. II. §. 33. 34.) ita ut solutio periodorum et facilis sit et ingenia legentium acuat. Neque minus Plutarchus inanes ταυτολογίας quae vocantur et ζεύγματα effugit, quae nonnunquam vel Caesaris deformant dictionem, (velut b. G. VII, 66 interea, dum haec geruntur b. C. II, 18. qui verba atque orationem adversus remp. habuissent.) Etiam magis vero parva illa, quantumcumque est, periodorum difficultas tribus summis compensatur scriptoris virtutibus: maxima integritate sermonis, artificiosissimo delectu verborum talique tamen, ut semper nova proferendo satietati lectorum occurrat, (quod neque de Isocrate neque de Cicerone semper potest praedicari:) denique praeclaro usu antithetorum, quo vel cum summis certat artificibus dicendi, cum Thucydide Isocrate Demosthene Cicerone Shaksperio.

<sup>1)</sup> excepto uno difficillimo loco, sed qui non in vitis est, de Fato IV, 107 ἡμεῖς δὲ καταβάντες cet.

1. Ac sanctitate quidem graeci sermonis primariam esse virtutem dicendi et puerilliter fere a Stoicis violatam ipse disserit de virt. mor. III, 206: Χρῆσιμος — πολλῶν καὶ ἀτόπων δομιῶν (ut μεγάλῃς καλότης cet.) οὐδὲν δεομένην ἐμπέληκε φιλοσοφίαν.: quod utnam Germanorum philosophi spectassent! At ipse Plutarchus, dixerit fortasse quisplam, multis Romanorum vocabulis paginas suas inquinavit. Non ita multis, neque inquinavit, sed ditavit, idque jure, Polybii Dionysiique exemplum secutus. Quodsi Polybius ad contemptum suum significandum felicissime Prusiam R. dicentem facit (30, 16, 14): ὁρᾶτε, ἔφη, τὸν ἐμέτερον λιβερότον ἐμέ! quidni Plutarchus in Romanorum vitis aliquot latinis verbis uteretur? Atque plurima ejus generis insunt in his vitis, quae ad scholarum lectionem minus sunt aptae, in Romulo Numa Poplicola Camillo Fabio Coriolano, in quibus scriptor paulo magis doctos lectores spectavit: in ceteris iisque optimis



rarissime inveniuntur loci quales sunt Paul. 37 ἐκ τοῦ κάρκερε. Marc. 22 ὄβα (= τὰ πρόβατα.)<sup>1)</sup>. Quin etiam praeclarum illud consilium, quod sibi proposuisse videtur, Romanos et Graecos arctius inter se ita jungendi, ut illos a contemptu Graecorum debilitatis levitatisque, hos a despectione Romanorum barbariae demoveret, vix aliter Plutarchus, qui apud utramque nationem multum valebat, poterat exsequi, quam suis ipsius libris Romana quaedam (parca quidem manu) admiscendo. Vicit insitam Graecorum animis superbiam, qua post Plutarchi tempora Lucianus Samosatenus et vel miserrimus poeta Palladas Alexandrinus aliique plurimi abundant<sup>2)</sup>. Ipse sic ea de re loquitur Dem. 2: ἡμεῖς — ἐν Ῥώμῃ καὶ ταῖς περὶ τὴν Ἰταλίαν διειρηθείς οὐ σχολῆς οὔσης γυμνάζεσθαι περὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν διάλεκτον ὑπὸ χρεῖων πολιτικῶν καὶ τῶν διὰ φιλοσοφίαν πλησιαζόντων, ὅψι ποτε καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας ἠρξάμεθα Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν ἐντυγχάνειν — — Κάλλους δὲ Ῥωμαϊκῆς ἀπαγγελίας καὶ τὰ χροῦς αἰσθάνεσθαι καὶ μεταφορᾶς ὀνομάτων καὶ ἁρμογίας καὶ τῶν ἄλλων, οἷς ὁ λόγος ἀγάλλεται, χάριεν μὲν ἠγούμεθα — — (sed majoris otii.) Similes laudes Cat. Maj. 12 Caes. 50 in brevitatem sermonis Romani confert, (maxime ejusmodi breviter dicta non optime vertendo, ut Cam. 28 τοῖς νεικημένοις ὀδύνη = vae victis.) — Unum tamen superbiae graecae superest apud Plutarchum quoque vestigium, de fort. R. II, 376 μάλλον δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς εἶσας ὀνομασίας cet.

<sup>1)</sup> Qua quidem in re nemo mirabitur, quod Plutarchus, alienus a grammaticae studiosi, in tractandorum v. Romanorum ratione minime sibi constat: sic posuit Rom. 20 Ῥαμνήσης, sed Cor. 25 Θήσας = thesas; sic Num. 9 ποτήρ. Galb. 10 Ουάλης. (Tib. Gr. 8 σάπιενς.)

<sup>2)</sup> Luc. de hist. conser. §. 31 contemptim: μεταξὺ τῶν Ἀττικῶν ὀνομάτων τὰ Ἰταλιωτικὰ ταυτ' ἐγκέσθαι cet.

Palladas, Claudiani, qui latine scribere didicit, aequalis eoque inferior ingenio, frigidissime jocatur (Anth. IX, 502.):

Κονδίτου μοι δεῖ. Τὸ δὲ κονδίτον πόθεν ἔσχεν  
Τούνομα; Τῆς φωνῆς ἔστι γὰρ ἀλλότριον  
Τῆς τῶν Ἑλλήνων εἰ Ῥωμαϊκῶς δὲ καλεῖται  
Αὐτὸς ἂν εἰδείης, Ῥωμαϊκώτατος ὢν.

Bene tenuerunt Graeculi superbum illud Sophoclium: οἷθ' Ἑλλάς οἷτ' ἄγλωσσος.

2. Delectu verborum et jungendi ratione excellere Plutarchum non est quod multis hic demonstratum: plurima, quae felici audacia conatus est, adolescentulorum memoriae non minus quam platonici loci in perpetuum imprimuntur. Sic Caes. 33 de initio belli civilis: ὡσπερ ἀνεργήμου τοῦ πολέμου πλατείαις πύλαις ἐπὶ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν γῆν καὶ θάλασσαν. Luc. 7 negotiatores R. cum Harpyiis optime comparavit. Ant. 21 ἀνεχάιτισε τῶν πραγμάτων, ut 39 ἀπολακτίσας τὰ καλά. Per. 20 (ex tragicorum usu) Σικελίας ὁ δούσεως ἔρωσ. Cons. ad Apoth. I, 250 ὁ ὕπνος τὰ μικρὰ τοι θανάτου μυστήρια. De coh. ira III, 256 τῶν παθῶν πανσπερμία τις ὁ θυμός. De cup. div. III, 404 καλὴ ξενελασία τῶν ἀρχόντων. An seni sit g. r. V, 38 (Lucullus) ταῖς γαλήναις ἐννεκρωθεῖς καὶ καταμαρανθεῖς. De El ap. D. III, 96 ἐφθάρη ὁ παῖς εἰς τὸν νέον. De cup. div. III, 399 (Demades) εἰς τὴν γαστέρα ἐδημαγώγει. — Raro ampullis sermonem deformavit, ut de mul. virt. II, 228 στυγερὰ δὲ ἤγειτο Κλωθῶ τιμωρός. De glor. Ath. II, 436 Κλωθῆ Ἐνωῦ Πόλεμον

θύγατερ cet. — Ne vulgaria quidem verba interdum spreuit, necessaria ea quidem ad notionem melius significandam, ut Artax. 27 σκορικήζω = ὑβρίζω; (a. v. ἐς κόρακας, ut anglice strange = extraneus,) verum non ut Polybius et Dio Cassius modum ea in re excessit.

3. Denique cum in omnium figurarum orationis tum in antitheti usu artificem esse summum Plutarchum vel uno libello lecto quis perspiciet: qua quidem in re eo maxime ad Shaksperii<sup>1)</sup> rationem accedit, quod alienus ab Isocratis consuetudine, apud quem secundam antitheti partem facillime ex priori divinamus, sua antitheta παρὰ προσδοκίαν conformando novitate alterius membri animos delectat. Sic Tim. 36. — οὐ τέχης ἔργον ἀλλ' ἀρετῆς εὐτυχοῦσης. Nic. 11 felicissime: (Hyperbolus) ἀπ' οὐδεμιῶς τοιμῶν δυνάμεως ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τοιμᾶν εἰς δύναμιν προελθῶν. Sull. 30 ὡς ἀλλαγὴ τῆς τυραννίδος, οὐκ ἀπαλλαγὴ γέγονε. Caes. 17. οὐ μαλακίας ἐποιήσατο τὴν ἀρῆωστῶν πρόφασιν, ἀλλὰ θεραπείαν τῆς ἀρῆωστίας τὴν στρατείαν. Pomp. 49 (Clodius) ἤτιθέτο μὴ γεγράφθαι τὸν νόμον διὰ τὴν σιτοδείαν, ἀλλ' ὅπως ὁ νόμος γραφῆι γεγονέναι τὴν σιτοδείαν. 25. νόμον (I. Gabiniam) οὐ ναυαρχίαν, ἀντικρὺς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ δίδόντα. Agid. 2 ὅταν μὴ τὸ καλὸν ἐνδοξον εἶναι θέλωσιν, ἀλλ' ἀγαθὸν ἠγῶνται τὸ ἐνδοξον εἶναι. Ejusmodi luminibus, aptissimis ad capiendos juvenum animos, abundant omnes Plutarchi libri —

<sup>1)</sup> All's well II, 1:

So holy writ in babes hath judgment shown,  
When judges have been babes.

Ne id quidem vitium prorsus praetermittere hic licet, quod saepius Plutarchiae dictioni obiectum est: poetarum versibus nimis crebro immixtis simplicitatem sublatam esse. Quodsi simplicitas sermonis summa ac quasi sola laus esset eorum librorum, qui adolescentibus legendi traduntur, scriptor condemnandus esset omnibus sententiis, tam liberaliter enim quam pauci poeticos flores decerpit: verum si primam laudem scriptoris in scholis legendi statuimus esse praeclaram quandam facultatem animos juvenum et conciliandi et optimis rebus imbuendi, quis veterum scriptorum solutae orationis (excepto Platone) aptior videatur quam Plutarchus? „Quem ille (Mureti sunt verba Volum. II. Orat. 15) poetam veterem, quem oratorem, quem historiae scriptorem non ita triverat ut edidicisse videretur?“ Nulla autem re adolescentium animos in legendis difficilioribus scriptoribus magis recreari quam si nonnunquam in immixtis poetarum luminibus licet acquiescere, inter omnes constat; eamque ob causam Thucydides Demosthenes Polybius Salustius Tacitus (si verum fatemur) viris semper magis quam adolescentulis placuerunt. Plato immiscuit poeticos locos, sed quam paucos et ex quam paucis poetis, si cum Plutarcho eum conferimus! Unus Chaeronensis aperit discipulis immensum illud tanquam pantheum graecorum ingeniorum, quae X saeculis ab Homero usque ad eum floruerant: ex uno Plutarcho (cum Athenaeus in scholis legi non possit,) eam laudem, quam Graecis eripere Romani non potuerunt, incipient intelligere, omnium artium atque litterarum ad summum fastigium perductarum, et mature, nondum quaerendorum numero studio abrepti, vitam cognoscendis Graecorum ingenis impendere constituent.

Et quanta sapientia elegit poetas eos, quorum luminibus libros suos illustraret! Quanto ea in re praestat Ciceroni, qui (plurimis orationibus exceptis, non omnibus, velut Sestiana,) opera sua durissimorum plerumque poetarum locis refersit, qui adolescentulis aut risum aut saepius oscitationem exprimit! Saepissime utitur floribus Homeri, Pindari, (cujus permulta solus servavit,) Euri-

pidis, (hoc unum doleas, quod Sophoclem Euripidi posthabuit,) sed nullum fere prorsus omisit veterum poetarum, qui ante Alexandrum M. vixerunt<sup>1)</sup>, praeter aliquot jejunorum epicorum, ut Aslum Pisandrum Eugammonem alios, quibus delectatur Pausanias<sup>2)</sup>. Contra ea miserrimos Alexandrinorum poetas, qui Romanis (si non Ennii aequalibus, at certe Catulli) tantopere placuerunt, optimo jure fere omnino rejecit<sup>3)</sup>: qua una repudiatione elegans ejus judicium satis probatur. Recentioris tamen comediae poetas, ut Menandrum (Al. 17 et saep.), Philippidem (Demet. 12. 26) ac paucos alios generis ab hac excipit condemnatione, ut Timonem Phlasiarum (Per. 4 de virt. mor. III, 217.); multo vero rarius his utitur, quam prisca comica, quanquam in singulari libello (V, 176—180) Menandrum ut moribus formandis aptiorem praetulit Aristophani. Talibus poetarum locis apte insertis multae Plutarchi vitae jucundissimam praebent adolescentulis lectionem eosque ad amplectendas litteras Graecorum incitant: Imprimis Solon Cimon Pericles Nicias Alcibiades. — Deplorandum est, scriptorem non simile aliquod in Romanorum vitis fecisse: nulla ab eo fit mentio Ennii Plauti Virgillii aliorum; Caes. 21 omissum est, quod vel jejunissimus scriptor Suetonius (Caes. 73) memoravit, Caesarem acerrime ab aequalibus poetis esse vexatum. Tres tantum Romanorum poetas dignos commemoratione judicavit, miro eos quidem delectu: Ciceronem (c. 2, bene addit: τὴν ποιήσαν αὐτοῦ ἄξιον ἔρῃεν συμβέβηκεν,) Catonem Minorem *λαμφογράφον*, (c. 7), denique Flaccum, cujus vel locum inseruit, (Luc. 39 = Ep. I, 6, 45) sed in graeca neque prorsus recte conversum.

<sup>1)</sup> ne Timocreonem Rhodium quidem (Them. 21) Timotheum Milesium (Philop. 11.)

<sup>2)</sup> Rhiano fortasse in Aristomenis vita usus est.

<sup>3)</sup> Callimachi versus semel bisve immiscuit, ut Ant. 70.

II. Venimus ad *δαιμονολογίας* quod dicitur et pravi Platoniorum dogmatum usus crimen: quoquidem si non plurimi scriptoris libri qui Moralium vocabulo continentur, at certe Vitae, de quibus hic agitur, omnino fere absolvi possunt; quandoquidem elegantissimo iudicio<sup>1)</sup> in vitis, quibus hominum non doctorum animos formare voluit, modum optime servavit in omnibus ingenii sulisibus<sup>2)</sup>. Exillitate sane ac tenuitate sui saeculi, ac maxime Graecorum, de nulla jam alia re quam de numulis ac voluptatibus cogitantium, (de Pyth. or. III, 133.) minime contentum Plutarchum priscae religionis graecae et imprimis oraculorum auctoritatem magno cum dolore desiderasse, ex multis locis intelligitur, ut de Pyth. or. III, 129 — — κατέβη μὲν ἀπὸ τῶν μέτρων ὡσπερ ὀχημάτων ἢ ιστορία — — φιλοσοφία δὲ τὸ σαφὲς καὶ διδασκαλικὸν ἀσπασίμεν ἢ μύλλον ἢ τὸ ἐκπλήττον — — ἀπέπασσε δὲ τὴν Πυθίαν ὁ θεὸς cet. Quanquam III, 135 eos aequalium irridet, qui (Romanticos quosdam illius saeculi dices) ideo puerili priscae delphicae ambiguitatis flagrant desiderio, tamen ne ipse quidem eo desiderio prorsus vacat et saepissime cum reliquis antiquae religionis partes tum oracula defendere conatus est, summa et subtilitate ingenii et eruditione ea in re abusus. Idem Plutarchus<sup>3)</sup> priscae religionem stabilire laborans, sed ridiculis foedis plurimis poetarum de diis narratunculis merito offensus, (cf. Per. 39) quaecumque eorum, quae de numinibus majores varie tradiderant, vel inter se discrepabant vel plam laedebant mentem, aut omnino silentio praetermittere aut artificiose, platonica praecipue ratione, interpretari, aut ex hesiodia de daemonibus doctrina aptius studuit connectere. Quodsi eo erravit, quod non veram agnovit religionem, quae jam illi saeculo lucem affuderat, id certe, quod meliora illius

temporis ingenia ad Christianam doctrinam amplectendam impulit, ipse quoque obscure saltem sensit, opus esse saeculo constantem *πίστιν*. Ita enim Cor. 38 scripsit: — μέγα πρὸς πίστιν ἔστι τὸ θανάσιον καὶ μὴ καθ' ἡμᾶς τοῦ θεοῦ δυνάμις. Οὐδὲν γὰρ οὐδαμῶς ἀνθρώπινω προσέοικεν — οὐτ' εἴ τι ποιεῖ τῶν ἡμῶν ἀποιήτων καὶ μηχανᾶται, παράλογόν ἐστι. Addit: Ἀλλὰ τῶν θεῶν τὰ πολλὰ, καθ' Ἡράκλειτον, ἀπιστή διαφνγγάνει μὴ γινώσκουσαι. Inde saepissime concludit unam rectam esse viam τὴν εὐσέβειαν, media inter ἀθεότητα et δεισιδαιμονίαν. (De superst. I, 400. 383 De Is. et Os. III, 63. De virt. mor. III, 214. al.) —

<sup>1)</sup> Semper praecipit ut sapientiae summam quandam: τὸ μηδὲν ἄγαν ἄριστον Cam. 6. De adul. et am. I, 152. Cons. ad Apoll. I, 270. Sapient. conv. I, 382. al.

<sup>2)</sup> Sic in ceteris libris persaepe ita ludit, ut abstrusam quandam ac reconditam numerorum investiget significationem: in vitis paene nunquam id fecit (praeter Fab. 4. Lyc. 5. Cam. 19. Sull. 7.)

<sup>3)</sup> alienus ille quidem ab admiratione ridiculorum sui saeculi Graecorum prophetarum, ut Apollonii Tyanensis, quem in libris suis prorsus neglexit, Dio Cassius et Philostratus ut divinum virum inepte celebraverunt.

Jam primaria capita sententiarum Plutarchi de rebus divinis, (magnam partem sublimium, quanquam ut apte inter se conjungeret et non contigit,) breviter exponemus, unde diducetur, tales ob sententias ex scholis excludendus sit scriptor.

1. Ἔστιν ὁ θεός, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα χρόνον (De El ap. D. III, 94) Hinc tamen progressus non est ad claram notionem, deum unum esse, sed ut Plato, etsi (in Critia p. 121) statuerat θεὸς ὁ θεῶν Ζεὺς, tamen etiam de pluribus diis loquitur, ita Plutarchus nutat inter notions, quibus inconstanter utitur, ὁ θεός, θεός, οἱ θεοί, τὸ θεῖον. cet. Neque magis ea de re sibi constat, utrum deus mera sit notio an diversum aliquid a mundo. Amat. IV, 482 eos vituperat; qui in deorum locum notiones virtutum substituant: — ἕτεροι δ' αὖ φήσουσι (Chrysippus alique Stoici,) τὴν Ἀφροδίτην ἐπιθυμίαν εἶναι καὶ τὸν Ἑρμῆν λόγον — καὶ φρόνησιν τὴν Ἀθηνᾶν. Ὁρᾷς δὴ ποῦ τὸν ἐπολαμιβάνοντα βοθρὸν ἡμᾶς ἀθεότητος. Idem scriptor (de Is. et Os. III, 52) dicit: τοῦ Ἑρμοῦ τὸν ἐστὶ τὸν λόγον. (ad princ. inerud. V, 13.) ὁ Ζεὺς οὐκ ἔχει τὴν Δίκην πάρεδρον<sup>1)</sup>, ἀλλ' αὐτὸς Δίκη καὶ Θέμις ἐστὶ καὶ νόμιμον ὁ πρεσβύτατος.

<sup>1)</sup> Arist. Nub. 903 ἢ Δίκη παρὰ τοῖσι θεοῖς, non apud solum Jovem.

2. θεός ἐστιν ἀγέννητος (Thaletis vox a Plutarcho comprobata, Sap. Conviv. I, 357.) Idem etiam singulis diis tribuitur, ut Pelop. 16: Ἀπόλλων αἰδῖος καὶ ἀγέννητος θεός, εἰ δ' εἴ τοῖς ὑπὸ τῶν φρονιμοτάτων καὶ παλαιωτάτων λεγομένοις τεκμαίρεσθαι περὶ τῶν τηλικούτων. Ipse igitur dubitaverat, sed ipse senex Claeoneae Apollinis sacerdotium suscepit.

3. (Arist. 6.) τὸ θεῖον τρισὶ δοκεῖ διαφέρειν, ἀφθαρσίμω καὶ δυνάμει (cf. Cor. 38) καὶ ἀρετῇ, ὧν σημαντότατον ἢ ἀρετῇ καὶ θεϊότατον. Ad potentiam eorum pertinet, quod de garrul. III, 360 habet: Pythiam etiam antequam quaesieris respondere, quoniam omnia sciat deus (= Soph. El. 659 τοὺς ἐκ Ἀδὸς γὰρ εἰκός ἐστι πάνθ' ὄραν. Luciani epigramma Anth. X, 27.) Ad ἀφθαρσίαν pertinet locus de superst. I, 390: a superstitionibus tantum hominibus ἀνθρώπο μὲρ φθες deos haberi. (cf. Num. 8.) Stoicorum sententiam: unum modo deum esse ἀφθαρτον, reliquos extingui, commemorat (de def. orac. III, 159), non comprobata. Inter virtutes τοῦ θεῖου saepissime

praedicat benignitatem, prorsus alienam a siti humani sanguinis. (Pelop. 21:) Pelopidas et Theocritus vates abhorrent humanum quod ante Leucetricam pugnam ab his flagitabatur sacrificium: οὐ γὰρ τοὺς Τυφῶνας κείνους οὐδὲ τοὺς Γιγαντας ἄρχειν, ἀλλὰ τὸν πάντων πατέρα θεῶν καὶ ἀνθρώπων. De superst. I, 399 praeclare horrorem suum Poenorum cultus exposuit: quasi cum sublimissimo poeta certaret<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> First Moloch, horrid king, besmear'd with blood  
Of human sacrifice, and parents tears etc.

4. Missis subtilibus omnibus hisdemque inanibus quaestionibus, quae philosophorum exercuerunt ingenia, quibus negotiis Numen seu Numina tempus consumerent<sup>1)</sup>, unum hoc, quod ad vitam hominum regendam maximi est momenti, constanter tenuit: esse divinam aliquam πρόνοιαν, omnibus hominum λογισμοῖς superiorem<sup>2)</sup>: quod quidem dogma nemo e veteribus rerum scriptoribus vel tam aperte proposuit vel tam egregie defendit. Qua in sententia quanta insit utilitas ad adolescentium animos bene conformandos, non est quod pluribus demonstremus. Quid alii hique optimi scriptores? Cicero (Att. XIV, 11): Sed haec Fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. Hoc ex diuturna vita didicerat! Caesar (b. C. III, 68. cf. b. G. VI, 35. Mommsenus III, 430.): Fortuna, quae plurimum potest cum in reliquis rebus tum praecipue in bello. Salustius (Cat. 8): Sed profecto Fortuna in omni re dominatur. Plinius (N. H. II, 5): Toto quippe mundo et locis omnibus omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur. (Ib.) Deos agere curam rerum humanarum credi, ex usu vitae est. Diversine igitur ea in sentiendi ratione et Cicero et Salustius et ipse Caesar a Plautino servulo, ita philosophante: (Pseud. II, 3, 12)

Centum doctum hominum consilia sola haec devincit dea  
Fortuna — —?

Taline doctrina sola imbuendi sunt adolescentium animi? Annon potius is opponendus erit scriptor, qui melius aliquid sensit? Quanto sapientius jam Juvenalis (X, 365):

— — nos te,

Nos facimus, Fortuna, deam coeloque locamus

At aperte Plutarchus: (Per. 34) Lacedaemonis mox, ut Pericles ingenii sui viribus confusus praedixerat, pax facienda fuisset, εἰ μὴ τι δαιμόνιον ἀπηναντιώθη τοῖς ἀνθρώποις λογισμοῖς. De eadem re coryphaeus scriptorum Thucydides (II, 65) ita: τοσοῦτον τῷ Περικλεῖ ἐπερίσσευσε τότε, ἀφ' ὧν αὐτὸς πρόβλεψε, καὶ πάντ' ἂν ἁδῶς παρενεῖσθαι τῶν Πελοποννησίων cet. Quae quidem etsi post a. CDIV scripsit, cum totum bellum animo perspicere licebat, nullam humanae debilitatis aut numinis facit mentionem. Similiter Brut. 47: ἀλλὰ τῶν πραγμάτων, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἔτι πολλοῖς ὄντων καθεκτῶν, ἀλλὰ μοναρχίᾳ δεομένων, ὃ θεὸς ἐξάγειν — τὸν μόνον ἐμποδῶν ὄντα (Brutum) τῷ κρατεῖν δυναμένῳ βουλόμενος, ἀπέκοψε τὴν τύχην ἐκείνην, καίπερ ἐγγυτάτω cet. I. e. regitur Fortuna a Deo. Praeclarissime (Tim. 36) dicit, omnes res ab hominibus bene gestas soli numinis benignitati deberi: πολλάκις ἔφη τῷ θεῷ χάριν ἔχειν, ὅτι βουλόμενος σώσαι Σικελίαν ἐπεγράψατο τὴν αὐτοῦ προσήγορίαν. Sic. (Lyc. 7) „θεῖον εὐτύχημα“ Lycurgus Laconibus. Illustribus ejus generis dictis abundant vitae Plutarchiae. — Atque adeo id jam perspexit scriptor, vel pessimis hominibus interdum secundam a numine fortunam dari, quorum opera efficeretur egregia aliqua res; neque ideo esse quod exclamarem (Soph. El. 823): ποῦ

ποτε κερωνοὶ Διός; Toto libello de sera numinis vindicta ea de re agit; brevis Tim. 30 de sacrilegorum nece, simulatque eorum opera liberata est Sicilia: — — τῆς δίκης αὐτοῖς ἰδίᾳ ἐπιτιθεμένης, ὅπως μηδεμίᾳ τοῖς ἀγαθοῖς ἀπὸ τῆς τῶν κακῶν κολάσεως βλάβη γένηται. Quamobrem Catonis accusatio numinis (c. 53): πολλὴν περὶ τὰ θεῖα πλάνον εἶναι καὶ ἀσάφειαν, non ipsius indicat Plutarchi sententiam<sup>3)</sup>. — Hoc tamen unum dolendum est, quod scriptor aliquot locis (paucis his quidem) cum dubitatione quadam de providentia divina loquitur, ut Mar. 23 ἢ τύχη τις ἢ νέμεισις ἢ πραγμάτων ἀναγκαῖα φύσις (cf. Cam. 13. Nic. 17): qui quidem loci plurimis aliis compensantur<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> cf. Cic. de N. D. I.

<sup>2)</sup> Congruit et cum biblicorum sacrorum doctrina et (hac quoque in re) cum Shakespeareo:

and that should teach us,  
There's a divinity that shapes our ends,  
Rough-hew them how we will — —

et cum Pindaro (: „ἀριστοτέλλης ὃ θεός“ de sera n. v. IV, 5) et cum Euripide:

πολλὰ δ' ἀέλιος κραινόνει θεοί,  
καὶ τὰ δοκῆθ' ἔντ' οὐκ ἐτελέσθη,

al.

<sup>3)</sup> Brut. morientis vocem:

ὦ τλήμιον ἀρετῆ, λόγος ἄρ' ἦσθ' — —

(Dio C. 47, 49) omisit Plutarchus, (Brut. 52) propter summum ut videtur amorem Brut. I.

<sup>4)</sup> Ne Plato quidem (nec Herodotus, Dio Cassius, alii) in libro extrema vita scripto ad certam aliquam notionem pervenit. Legg. IV, 709: θεὸς πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τὰνθρώπινα διακυβεῖν ὡς ζύμπαντα.

Quomodo autem et quatenus voluntas hominum a divina providentia regatur I. e. res, quas mens humana nunquam investigabit, subtilius anquirere Plutarchus optimo jure plurimis omisit locis, praecipue in vitis. Nonnunquam tamen in minutias philosophorum ipse quoque se immergit, ut de Fato IV, 57, ubi mirum in modum tria προνοίας genera excogitavit, quorum tertium daemonum est. Cor. 32 (Albertum M. aut Thomam Aquinatem loqui diceret) tentat, Homerum subtiliter interpretatus, reconditum aliquod discrimen inter humanum λογισμὸν et divinam ἀγωγὴν statuere: οὐ ποιεῖ (Homerus) τὸν θεὸν — — ὁρμᾶς ἐνεργαζόμενον, ἀλλὰ φαντασίας ὁρμῶν ἀγωγούς, ἢ γὰρ ἀπαλλακτὸν ὄλωσ τὰ θεῖα πάσης αἰτίας καὶ ἀρχῆς τῶν καθ' ἡμᾶς ἢ — — Egregiam sane distinctionem! De S. N. V. IV, 38 tres Nemesi gradus effluxit: Ἀδρόσθειαν, Δίκην, Ἐρινόν. Verum cum maxime modice his ingenii lusibus indulserit, non est quod propter eas optimo scriptore privemus juventutem.

5. De daemonibus, quorum causa infamari solet, haec fere docet Plutarchus, (in Moralibus maxime libellis, multo rarius in Vitis):

Graecorum, qui sacrorum biblicorum prisco aliquo et sacrosancto corpore carebant, religio quia fabulis a poetis ac sacerdotibus traditis continebatur, in quibus permulta jam saeculo a. C. VI. Xenophanen Colophonium et paulo post Pindarum (Olymp. I, 52), magisque excultam ac piam



Plutarchi mentem offēdebant, philosophus Chaeronensis, quippe qui verum quaereret tota vita censeretque (de Is. et Os. III, 64): οὐδὲν, ὡν ἀνθρώπος ἔχει πέφυκε, θεϊότερον λόγου καὶ μάστιγα τοῦ περὶ θεοῦ, idemque τὴν τοῦ θείου πλῆσιν necessariam ad beatam vitam iudicaret, (Cor. 38) hoc ante omnia perditū videtur acquisisse, quomodo fabulae illae antiquae de rebus divinis tractandae essent. Neque ad certam aliquam ac firmam tractandorum mythorum legem pervenit: nam modo (ad Strabonis exemplum X, 368 ed. T. XIII, 104.) irridet eos<sup>1)</sup>, modo frigidissime interpretatur, ut de Mul. virt. II, 200: Βέλλεροφόντης — — ληστρίδας ἄγων ναῦς, ὡν Χίμαθῆος ἤγειτο<sup>2)</sup>, modo elegantissimas ex iis notiones elicit, velut Pelop. 19 de Harmonia et sacra cohorte. Denique sic rem expediri posse opinatus est, ut universe statueret: (de genio Socr. IV, 96): ἔστιν ὅπη ψαύει τῆς ἀληθείας καὶ τὸ μυθώδες. (de gl. Ath. II, 433) ὁ μῦθος εἶναι βούλεται λόγος ψευδῆς εἰκωῆς ἀληθινῆς; atque praeciperet: (de Is. et Os. III, 55) χρῆστον τοῖς μύθοις οὐχ ὡς λόγοις πάνπαν ὄσιν, ἀλλὰ τὸ πρόσφορον ἐκάστου τὸ κατὰ τὴν ὁμοιότητα λαμβάνον- τας. — Quam normam ita ipse ad fabulas numina spectantes applicavit, ut, ubicunque aliquid in mytho de diis piam mentem laedebat, in deorum locum substitueret daemones. Acutam sane solutionem<sup>3)</sup>! Quas quidem ineptias, (nam maxime ridiculam esse hanc rationem quis neget?) Platonis exemplo potest excusare, qui (Rep. V, 468) Ἄλλ' οὐ πεισόμεθα, inquit, Ἡσιόδω<sup>4)</sup>; ἐπειδὴν τινες τοῦ τοιοῦτου γένους τελευτήσωσιν, ὡς ἄρα

Οἱ μὲν δαίμονες ἀγνοῖ ἐπιχθόνιοι τέλθουσιν,  
Ἐσθλοὶ, ἀλιεῖκακοι, φέλακες μερόπων ἀνθρώπων.

Πεισόμεθα μὲν οὖν cet. Jam omnes hic enumerare minutias, quas de daemonibus suis partim veteribus credidit partim ipse quasi ex ovo hesiodio exclusit, nihil attinet: paucissimis acquiescam exemplis. De def. or. III, 148 quatuor gradus eorum, qui ratione fruuntur, ex Hesiodo sumsit: ἀνθρώπων ἡρώων δαιμόνων θεῶν. De tranqu. an. III, 281 Empedoclem probat, qui unicuique homini, simulac natus sit, duo daemones inter se pugnantēs vitae comites largitur; quae sententia cum zoroastria fere congruit. De gen. Socr. IV, 95 quaestionem, quomodo τὸ δαιμόνιον cum hominibus loquatur, ita solvit: daemonum verba non nisi in νηέμφη ψυχῇ resonare cet. Quam ob causam tota de divinatione doctrina, quam Q. Cicero Io. de Div. libro exponit, Marcus II. facetissime refellit, a Plutarcho comprobatur: τὸ μυθικὸν τοῦ δαιμόνιον, imprimis Socratis, cum permultis separatim locis, (ut Alc. 17) tum singulari eoque acerrime scripto libro (de genio Socratis) praedicavit. Eos autem, qui de prodigiis, vaticiniis, praesagitionibus atque adeo qui de somniis dubitabant, ita refutare tentat: (Dion. 2) τὸ δαιμόνιον ἀμφοτέροις ἐπεδήλωσε τὴν τελευτὴν — — Καίτοι λόγος τίς ἐστι τῶν ἀναιροῦντων τὰ τοιαῦτα, μηδεὶ ἂν νοῦν ἔχοντι προσπεσεῖν ἀντασμα δαίμονος μηδ' εἰδωλον, ἀλλὰ παιδάρια καὶ γόνατα καὶ παραφόρους δι' ἀσθένειαν ἀνθρώπων, ἐν τινι πλάνῳ ψυχῆς ἢ δυσκρασίᾳ σώματος γενομένους, δόξας ἐφέλικεσθαι κενὰς cet.: quod non in gravissimos illos Brutos et Diones cadere. Verum ipse Plutarchus, antequam (Dion. 55) φάντασμα suum enarrat, Dionem tunc ipsam aegrotasse et animo et corpore concedit!

<sup>1)</sup> Num. 15 ταῦτα μὲν οὖν μυθώδη καὶ γελοῖα. De superst. I, 396 rejicit fabulam de Nioba ut absurdam.

<sup>2)</sup> haud sapientius vel jejuniissimo illo Pausania, inter alias fabula de Actaeone miserime abuso IX, 2, 3, vel prisco Hecataeo Milesio (cf. Dunker. H. A. IV, 129.)

<sup>3)</sup> De def. orac. III, 154: καὶ μὴν ὅσας ἐν τε μύθοις καὶ ἔμνοις λέγουσι — τοῦτο μὲν ἀρπαγὰς τοῦτο δὲ πλάνως θεῶν — οὐ θεῶν εἶσιν ἀλλὰ δαιμόνων παθήματα. Mellus Pindarus (Ol. I, 52) repudiatur simpliciter, quae in fabulis ei displicent.

<sup>4)</sup> Op. et D. 108. 109.

Jamsi quaerimus, hocne ob vitium iudicandi (est enim vitium idque haud leve) Plutarchus a scholarum lectione excludendus videatur, duabus de causis hoc negandum erit: primum, quia paucissimi veterum scriptorum prorsus vacant superstitione, ut Thucydides Caesar Salustius, qui tamen non minus tota vacant *προνοίας* notione<sup>1)</sup>: deinde, quod hoc quoque in ingenii usu in Vitis scriptor egregie modum servavit. Defendit is quidem et multa prodigia et permulta oracula, verum et modeste ingenioseque hoc facit, non puerili illa cum petulantia Dionis<sup>2)</sup>, et, quod majus est, doctrinam ipsam de daemonibus in Vitis rarissime attingit, ut Rom. 28 (quem quidem librum nemo adolescentulis commendabit.) — Neque est omittendum, Plutarchum semper et aperte ita docendo: „tantum homines summis virtutibus ornatos ad heroes ascendere“<sup>3)</sup>, vesaniam sui saeculi oppugnasse, qua vel taeterrimi principes divinos sibi honores sumebant, ut nuper (a. XCI) Domitianus fecerat. Jam Lysandrum acerbissime notavit, (c. 18) quod primus e Graecis sibi aras divinas et paeanes offerri passus est. Romani autem, Christum ut heroem colendo, paulatim didicerunt divinam ejus naturam agnoscere, itaque vel Plutarchus veri cultus dei vias munivit. Sic centum post annis Alexander Severus (Lamprid. Al. 29) „in larario suo et divos principes sed optimos et electos, et animas sanctiores, in quis et Apollinem et — — Christum, Abraham, et Orpheum et hujusmodi ceteros habebat.“

<sup>1)</sup> Quid Herodoto, quid Livio fieret, haec si lex valeret? Nonne vel Tacitus (A. XII, 64) mutationem, inquit, rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis (cf. H. I, 18. 86., quāquam idem A. XIV, 12 irridet prodigia)?

<sup>2)</sup> LXVII, 18 τοῦτο (Apollonii Tyanensis exclamatio) οὕτως ἐγένετο, κἄν μυριάκις τις ἀπιστήσῃ.

<sup>3)</sup> Similiter fere Pindarus (Ol. II, 68):

ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἑστῆς  
ἐκατέρωθεν μέναιτες ἀπὸ πάντων ἀδίκων ἔχειν  
ψυχάν, ἔτελλεν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρόνον τέρσιν cet.

6. Oraculorum priscam auctoritatem a Plutarcho quoque tacita mente desiderari, supra est memoratum: quo quidem mentis morbo, quem aristophanio modo irrisit Lucianus, (in Alexandro), et Plato laboravit<sup>1)</sup>, et Dio Chrysostomus, qui „oraculo admonitus“ effugit Domitianum, et Christiani Plutarchi aequales, ita quidem ut non Pythiae sed ineptiora Sibyllae oracula devorarent. (Bernhardy Gr. L. II, 297) Quāquam enim scriptor, qua est aequitate et veri studio, ipse non tacet (Lys. 26), jam Lysandri tempore totum Delphorum institutum fuisse depravatissimum, tamen ubicunque offertur occasiuncula accurate enarrat, quae oracula praeter humanas opiniones eventum habuerint: fortasse ut sic quoque superbiam humanae mentis frangeret. Velut Ages. 30 oraculum de claudicatione Regis Spartani editum magnifice jactat: tanquam ingressus Agesilaus, non implacabile ejus in Thebanos odium atque injustitia rempublicam Lacedaemoniorum everterint. Neque unquam omittit, quando posterioribus saeculis Delphi consulti sint, memorare, ut Fab.



18 (a. CCXVI) Arat. 53 (a. CCXIV, cum de religionibus quibusdam Sicyoni dubitabant,) atque adeo illud responsum a Nieubrio<sup>2)</sup> collaudatum, quod Cicero adolescens tulit, (Cic. 5) „eum indolem suam, non multorum opiniones sequi debere“: egregium sane consilium, quod, ut in ejusmodi rebus assolet, Cicero et prorsus neglexit et exacto vitae cursu optimum fuisse professus est. (de Off. I §. 111.) — Quod vero summi viri, quos ipse maxime admiratur, contemserunt oracula, nullo modo ipsius *πίστιν* conturbat: narrat tamen ingenue ejusmodi res; alii callide taceissent<sup>3)</sup>. Atque Colotem ceterosque Epicureos, quod oracula pervellant, acerrime increpat (adv. Col. VI, 245 seq.)

<sup>1)</sup> Legg. VI, 759 *ἐκ Δελφῶν χρηὴ νόμους περὶ τὰ θεῖα κομίσασθαι*: Id quod ea aetate praecipit, qua venalem esse Pythiam non solum Demosthenes sed pueri Athenienses sciebant.

<sup>2)</sup> Vorträge herausgeg. v. Zeys V. p. 43.

<sup>3)</sup> Sic de Epaminonda (Apopht. II, 56) et lepidissimum illud Agesilai (ib.): *Χρησὸν λαβῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τοῦ Διὸς ὡς ἤθελεν*, ab ephoris jussu etiam Pythiam adire, Delphos profectus interrogat, *εἰ ἄπερ τῷ πατρὶ δοκεῖ καὶ αὐτῷ*.

Jam cum nonnullis locis ipse Plutarchus pro ingenii sui acumine perspexisse videatur, totum illud τῶν Ὀσίων institutum nihil fuisse (jam inde a Pisistrati saltem temporibus,) nisi religiosam quandam machinam ad regendos vulgi animos<sup>1)</sup>, quis quæret, quid scriptorem impulerit ad oracula tanti aestimanda. Qui quidem duabus causis videtur ductus esse: primum quod, ut plurima eaque meliora sub saeculi ingenia, *πίστειως* alicujus religiosae sensit necessitatem, (Cor. 38. Act. Apost. XVII, 23.) male illius quidem collocatae; deinde quod hoc ex historia Graecorum acutissime intellexit, saeculo IXo. ad VI extremum illos Delphorum ὄσιους maximam ac plerumque salutarem in omnibus civitatibus exercuisse auctoritatem<sup>2)</sup>. Suo jure ex Epicureis quaerit (adv. Col. VI, 245): *φορτικοὶ οἱ τῶν Ἑλλήνων νομοθέται, τὰ μέγιστα καὶ πλείστα τῶν ἱερῶν πυθόχρηστα καθιστάντες*; Praecipue autem *κτιστικὰ* quae vocantur oracula merito praedicat (de Pyth. or. III, 132) et (de def. or. III, 194) *πηλίκων*, inquit, *ἀγαθῶν τούτῃ τὸ μαντιῶν αἴτιον γέγονε τοῖς Ἑλλήσιν ἐν τε πολέμοις καὶ κτίσει πόλεων!*

<sup>1)</sup> „Ingratos animos atque impleta pectora vulgi  
Conterre metu quae possint numine.“

cf. Phoc. 13. Sert. 20. Them. 10 *ὡσπερ ἐν τραγηδίᾳ μηχανὴν ἄρας σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμούς ἐπήγεν αὐτοῖς* (eadem v. Lys. 25). Num. 4. *οὐδὲ γὰρ ἄτερος λόγος ἔχει τι φαῦλον — ὡς δυσκάθεκτα πλήθη χειροῦμενοι προσηποῦσαντο τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ δόξαν, αὐτοῖς ἐκείνοις σωτήριον οὖσαν* (l. e. pia fraude.) = Polyb. VI, 56. Cic. de N. D. I, 118. de Div. II, 43: „hoc fortasse reipublicae causa constitutum est.“ Primum vero sic Critias in Sisypho fabula. Vel in senatu Cic. (IV Cat. §. 8): Itaque, ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt. (cf. Tusc. I §. 10 pro Cluent §. 171.)

<sup>2)</sup> cf. Dunker. t. III. IV. Curtius H. Gr. I, 416.

Non ineptam igitur, quanquam nimiam oraculorum admirationem Plutarchi habebimus: quin etiam hoc ejus errore uti licet in lectione scholarum ad docendos adolescentulos, quale

*πίστειως* desiderium tum, cum Christiana doctrina coepta est cum humano genere communi-  
cari, et in Graecis infuerit et in Romanis. (I Rom. 20.)

7. Eodem denique pertinet alla Plutarchi virtus, quod, quanquam anxia cura et Judaeorum fugit commemorationem in libris suis et Christianorum nunquam fecit mentionem, tamen magis fortasse quam Plato et Seneca cum Bibliis Sacris congruit, haud raro vel in ipsis verbis.

Judaeorum nomen consulto eum, non ignorantia omisisse, (aeque ac Plinius Minor fecit,) ex omnibus locis perspicitur. Omisit eos (Luc. 29) inter legatos a. LXIX ad Lucullum missos, (Mommsen. III, 62) omisit (Ant. 34) Hierosolyma a. XXXVII a Sosio capta, (etsi Sosii Senecionis amicitia utebatur,) omisit (Caes. 67) luctum Judaeorum de nece Caesaris (cf. Suet. 84); itaque plurimis locis. Siquando de populo invito loqui rerum serie cogitur, et brevissime et contemptim facit, ut Pomp. 39 de Hierosolymis a. LXIII captis, (de Numidis Albanisque copiose agit!) Ant. 3 de Aristobulo R. victo, c. 36 de Antigono R. securi caeso, c. 61. 71. de Herode, R. clarissimo, Oth. 4 de Vespasiani bello Judaico. — De Hierosolymorum gloria Plinius (N. H. V, 15): longe clarissima urbium orientis, non Judaeae modo. Tacitus, quanquam maxime abhorret „taeterrimam gentem“, tamen (H. V, 2): quia famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire. Dio Chrysostomus, per multas ille quidem gentes exilio jactatus, Esse-  
norum laudes scripsit! — Non ita Plutarchus; contra ea fabulam illam Aegyptiorum enarrat (de Is. et Os. III, 25), a Typhone post fugam genitos esse Hierosolymum et Judaeum. Maxime memorabilis est locus Num. 8: *διεκάλυπεν* (Numa) *ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορον εἰκόνα θεοῦ Ῥωμαίους νομίζειν*, nulla Mosis mentione facta, cujus de deo doctrina Plutarcho certo nota fuit<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Strabo enim, quem legerat Plutarchus (Sull. 26), eam XVI, 373 et memorat et collaudat. — Idem Strabo (ib) in Mosis leguminationem maximas laudes confert; Plutarchus (Num. 4) Zoroastrem aliosque enumerans, qui ab ipso numine edocti sint, Mosem omittit. At Apulejus (de Mag. p. 94 ed. Bip.) Mosem eumque primo loco cum Apollonio (Tyanensi), Zoroastre al. jungit.

Quod si quaerimus cur scriptor, alias aequissimus, adeo aversatus sit Judaeos ut vel aequitatis historici leges violaret: verisimile est, austeram eorum colendi numinis rationem maxime displicuisse ejus menti, qui, Apollinis tota vita sacerdos<sup>1)</sup>, semper hilaritatem et humanitatem Graecorum rituum praedicavit<sup>2)</sup>. Sic (de superst. I, 395) prorsus homerica ratione: *ἦδιστα ἑορταὶ καὶ εἰλαπίναί* πρὸς ἱεροῖς = de coh. ira III, 245; sic de aud. poet. I, 49 (si Plutarchi is liber est,) vel Sophocles ut mysteriis nimis deditus notatur; sic (Sap. Conv. I, 370) Orphici perstringuntur. Cf. Apopht. II, 140. 153. Aperte irridet Judaeos de superst. I, 392 *ἕξω κάθηται σακκίον ἔχων* cet., et 386. *βάρβαρα Ἑλλήσι κακὰ, πηλόσις καταβορβορώσις σαββατισμοῦς ῥήψεις ἐπὶ πρόσωπον*. Congruit Plutarchi judicium cum Ciceronis (p. Flacc. §. 67.)

<sup>1)</sup> Apollinem, sublimissimum ac sanctissimum Graecorum deum, nemo melius adumbravit quam Curtius (H. Gr. I, 400.) Jam Plutarchus Peripoltae, Chaeroneae conditoris, dignus fuit successor. (cf. Luc. 1.)

<sup>2)</sup> cf. Dunker: IV, 591. Raro terrores quosdam mysteriorum graecorum attigit, cf. ib. p. 287.

Jam Christianos quia pervulgato sui saeculi errore non discrevisse ab Judaeis videtur, consulto ne nominat quidem<sup>1)</sup>. Quis enim credat, scriptorem, qui omnium nationum de diis sententias investigavit, quique et Romae et Corinthi et Thessalonicae et aliis locis florentem videbat Christianorum sectam, prorsus ignarum fuisse eorum dogmatum, quae vel Plinius (Ep. X, 97) cognoverit, et quae levissimus ille Lucianus haud raro curet<sup>2)</sup>? Imo calliditate quadam, qua multi veterum religionum usi sunt defensores, omnino et Graecorum et Romanorum, quos in scribendo spectabat, oculos a nova doctrina videtur avertere voluisse; idem fortasse ac Plinius sentiens: „neque enim civitates tantum, sed vicos etiam — — superstitionis istius contagio pervagata est: quae videtur sisti et corrigi posse.“ Quod ejus consilium aliquot locis prope manifestum est, ut Num. 4: δοκοῦσιν οὐκ ἀπιθάνως οἱ Αἰγύπτιοι διαρῆν, ὡς γυναικί μὲν οὐκ ἀδύνατον πνεῦμα πληροῦσαι θεοῦ καὶ τινὰς ἐντεκεῖν ἀρχῆς γενέσσιως, ἀνδρὶ δὲ cet.; ne verbum quidem de Christianis.

<sup>1)</sup> An, ut Tacitus fecit, in Neronis vita de his locutus est? — De Nerone singularem libellum a Plutarcho scriptum esse, quanquam in reliquiis VI, 393 non memoratur, efficitur loco illo Galb. 2: Νυμφίδιος — ὢν ἑπαρχος, ὥσπερ εἴρηται, qui ad praecedentem Neronis vitam ita respicit ut Othonis ad Galbae.

<sup>2)</sup> Alex. §. 33. Peregrin. §. 11. τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκοποισθέντα. §. 48. σεῖσμοῦ πρότερον μεγάλου γενομένου, ubi Christi mortem irridet. §. 49 et saep.

Quo magis miramur, quam saepe idem Plutarchus<sup>1)</sup> in sententiis et interdum vel in verbis congruat cum Novo et Vetere Testamento. Paucissima eligam exempla: quae etsi maximam partem non ex viliis sunt sumta, tamen, qua praestantia sentiendi fuerit vitarum scriptor, docebunt.

<sup>1)</sup> id quod de Seneca nuper C. Fickert. (progr. Vratisl. 1857), de Socrate et Platone innumerabiles demonstrarunt, quorum recentissimus vel ὁ τῶν καθολικῶν καθολικώτατος, Lasaulx, in libro de Socrate 1857. edito.

Cor. 38 (locus supra laudatus) de necessitate πίστεως = Marc. 9, 23 πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. Job. 3, 18. Act. Ap. 15, 11.

Dion. 47 ὢν (ἀληθοῦς ἀρετῆς) ἐπίδειξις οὐχ ἡ πρὸς φίλους καὶ χρηστοὺς μετριότης, ἀλλ' εἴ τις ἀδικούμενος ἐπαρκεῖται εἴη καὶ πρὸς τοῖς ἀμειψάνουσι. Marc. 23. Fab. 12. in Epaminondae vita (cf. Apophth. de eo) alias eandem virtutem illustravit. Quanto melius praeceptum quam quod semper fere apud Graecos et Romanos valuit: Eur. Med. 805. Arist. Nub. 1161 σωτήρ δάμοις, ἐχθροῖς βλάβη<sup>1)</sup>!

<sup>1)</sup> Cic. ad Alt. XV, 4 — — apud illum (Caesarem), quem Dii mortuum perdidit! p. Mur. §. 44.

Sic Apophth. Lac. II, 123 (Aristonis Laconis et Socratis): τοὺς φίλους ἐεργετῆν, τοὺς ἐχθροὺς φίλους ποιεῖν. (= Matth. V, 44 ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν.) Cf. de vit. pud. III, 419. de aud. poet. I, 49 „nequis Injuriis injurias ulciscatur“, plane = 1 Petr. 3, 9.

De frat. am III, 31 (ex Pythagoreorum praeceptis): inimicitiae deponendae πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῶναι = Ephes. 4, 26 ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδύετω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν.

De prof. in virt. I, 194 (Eurip. v.):

φεῦ, τοῖσι γενναίοισιν ὡς ἄπαν καλόν!

Consol. ad Apoth. I, 247 Πότε γὰρ ἐν ἡμῖν αὐτοῖς οὐκ ἔστιν ὁ θάνατος<sup>1)</sup>;

<sup>1)</sup> Sed alia eaque laetior de vita sententia est crebrior apud Plutarchum, ut de tranq. an. III, 288.

Reip. ger. praec. V, 93 ἰερὸν δὲ χρῆμα καὶ μέγα πάσαν ἀρχὴν οὖσαν καὶ ἄρχοντα δεῖ μάλιστα τιμᾶν.

De tranq. an. III, 270:

τί τἄλλοτριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε,  
κακὸν ὄξυδερκέϊς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις;

287. ἡ σύνεσις — — ὅσον ἔλκος ἐν σαρκὶ τῇ ψυχῇ τὴν μεταμέλειαν, αἰμόσσουσαν αἰεὶ καὶ γύσσουσαν, ἐναπολείπει. (= de S. N. V. IV, 9.)

288. εὐδῖαν παρέχει βίῳ — — ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν. (= Juv. X, 363.)

Cum Vetere Testamento non minus multi congruunt loci, ut Sap. Conv. I, 380: πῦρ ὄργανον θεοῦ καὶ πνεῦμα καὶ ὕδωρ καὶ νέφη καὶ ὄμβροιοι, cum Psalmorum praefato versu. Cf. Nic. 23: Πλάτο recte ταῖς θείαις καὶ κρυπτῆραις ἀρχαῖς ὑπέταξε τὰς φυσικὰς ἀνάγκας (= de def. or. III, 194.)

Accedit, quod omnium prope virtutum, quae in Novo Testamento praecipiuuntur, optima exempla in vitis proposuit Plutarchus. Sic tota Dionis vita admonet adolescentes, ut vel inimicis consulant; sic fraternus amor melius praedicari non potest quam Luculli et Catonis vitis; sic domandam esse humani ingenii superbiam egregie docet pulcherrima omnium vitarum, Aemilius Paulus. —

Quibus ex rebus perspicitur, ex Plutarchi lectione hoc adolescentulis demonstrari posse, meliora Graecorum et Romanorum ingenia tunc et desiderasse vehementissime firmiorem aliquam religionem et per se tamen excogitare non potuisse: neque Plutarcho enim neque Plotino neque Juliano Imp. vel summa contigit subtilitate ut veteres religiones corroborarent<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Fortasse hoc ipse semel praesensit Chaeronensis, quippe qui (de def. or. III, 157) faciat Tiberii (!) tempore divinam quandam vocem Thamasio gubernatori navis Aegyptio indicantem: Πάν ὁ μέγας τέθνηκε; quam vocem totius insulae Paxorum gemitum insecutum esse.

III. Jam tertio ἀκριστίας, imprimis in rebus ad rempublicam pertinentibus et in temporum notatione, crimini respondendum erit. Quod quidem crimen (excepto fortasse Thucydide) in quem veterum scriptorum non cadit? Ut enim Herodotum, (quem ipse Plutarchus libro de malign. Her. V, 180 — 227 neque feliciter arguit ἀκριστίας) Xenophontem, Livium, magisque Curtium, Justinum aliosque ejus generis mittamus: nonne Polybium Mommsenus (I, 346) notavit, quod ineptis de Xanthippo narratiunculis Graeculorum fidem habuerit? Nonne et Caesarem et Dionem Cassium irridet Gibbonus<sup>1)</sup>, quod de connubiorum foeditate Britannorum non accuratius quaesierint? Nonne Salustius et (Cat. 2) Cyprium dicit primum in Asia majus regnum condidisse, et (Jug. 18, Jubam R. fortasse secutus) maxime inepta de Numidarum ac Maurorum profert origine? Nonne a theologis Tacito semper acerbissime est objectum, quod, cum Flavii Josephi libris de Judaeorum antiquitate ei liceret uti, (H. V, 2 — 7) puerilibus fabulis librum referserit? — Verum non ita Plutar-

chum defendere in animo est, ut hac re una nitamur, quod socios habet. Tantum statulimus: Plutarchum, utpote qui non historias sed *ἠθικάς* vitas se scripturum professus sit, non ad severas historiae leges examinandum esse, sed ad laxiores sui generis scribendi. Qui si in delineandis moribus illustrium virorum saepius peccavit, dignus non est qui adolescentulis commendetur: sin thucydidi caret virtutibus, non est quod ideo a scholis arceatur.

<sup>1)</sup> Ch. LXVI n. 29; sed omisit, jam Strabonem (IV, 324) prudentius ea de re judicare.

Qua in re feliciter eventit, quod saeculorum consensu praestantia scriptoris in adumbrandis moribus agnoscitur neque nostra indiget demonstratione. Unus pro omnibus loquatur is Germanorum scriptor, qui ipse deplingendis Alexandri Eumenis Pyrrhi Cleomenis ingeniis summam laudem meruit, Droysenus<sup>1)</sup>. Neque minus omnium temporum docet consensus, imprimis adolescentulos semper plutarchii generis dulcedine captos, saepe tota vita clarissimos eorum virorum, quos illustravit, sibi proposuisse exempla. Ducunt eorum Hadrianus Imp., qui id saltem ex scholis Chaeronensis totam per vitam servavit, ut *φιλέλλην* ac praecipue *φιλαθήναιος* esset, (cf. Spart. Hadr. 13) et A. Gellius (N. A. I, 26. 4.) Quam diversa vero post Hadrianum ingenia aluit Plutarchus et ad gloriam virtute parandam excitavit! Satis erit, ex plurimis<sup>2)</sup> Mich. Montagnium, Lud. Ariostum<sup>3)</sup>, Jo. Fischartum, Shakspearium, (qui quidem Chaeronensi quatuor optimarum debet fabularum argumenta, Caesaris Coriolani Antonii Timonis<sup>4)</sup>,) Angelicam Arnoldam, Kosciusconem, Napoleonem memorare. Quorum si Napoleo, (qui Gratianopoli duos annos in hanc impendit lectionem,) *μοῦσα* illa ejus praecepta postea prorsus neglexit<sup>5)</sup>, at plurimi certe, qui adolescentuli hac lectione animos aluerunt, etiam vitam melius regere didicerunt: quin etiam Arnolda ad veram religionem arctius amplexendam a Plutarchi lectione progressa est<sup>6)</sup>. Abusionem librorum suorum, qualem Napoleo commisit, ipse praevit scriptor, Philippum R. acerrime vituperans (Pelop. 26), qui „Epaminondam aemulatus ejus bellicas tantum virtutes imitatus sit, multo majores animi neglexerit“: quamobrem Philippi vitam non scripsit. *Ὅν πάντα πάντων ἴστω*, ut ait ipse (de tranq. an. III, 277), hac quoque in sententia congruens cum Paulo (1 Cor. 6, 12.)

<sup>1)</sup> Hell. I, 676. „allgemein und nicht mit Unrecht gilt Plutarch für einen trefflichen Biographen; er versteht es, biographische Portraits mit einer Bestimmtheit und Anschaulichkeit, wie sie ihres Gleichen sucht, zu entwerfen; für das geschichtliche Große hat er wenig Sinn.“ Addi poterat: Defto feineren für das sittlich Große.

<sup>2)</sup> quibus Mohammedum *ἴστω* ejus nominis addere dubitat Gibbonus (Ch. LII n. 70.)

<sup>3)</sup> Qui egregiam (Cant. 37) de Drusilla narrationem ex Plutarcho hausit (de mul. virt. II, 223, ubi pro Drusilla Cammae nomen est.)

<sup>4)</sup> Sic proximo anno evenit, ut Monaci a iudicibus ea fabula ceteris praeretur, quae Plutarchum secuta Agidis R. viduam illustravit.

<sup>5)</sup> H. Leo (H. U. V, 208) culpam propemodum in Plutarchum confert.

<sup>6)</sup> cf. H. Reuchlin de coenobio quod Port Royal vocatur.

Quaerendum tamen est, num revera tam horribilla tamque crebra sint Plutarchi errata in omnibus rebus, quae non ad mores describendos pertineant. I. Ac primum quidem, quoniam hic maxime pervellitur, videamus ejus temporum notationem.

Scriptor cum ipse propemodum gloriatu sit, se *ἀναθήματα* et *ψηφίσματα παλαιά* perscrutatam esse, (Nic. 1) cum Stesimbrotum notet, qui tempora confuderit (Them. 2), cum pluribus locis temporum accuratam notationem dicat maximi esse momenti ad dubias res dijudicandas<sup>1)</sup>, est quod magni aliquid ab eo in hoc genere expectemus. Verum idem ei accidit quod Curtio Rufo, qui (IX, 5) Clitarchi atque Timagenis levitatem egregie increpans, ipse levitatis notissimus est exemplum. Ipse se quasi excusat professus. (Num. 1): *τοὺς μὲν οὖν χρόνους ἔξακριβῶσαι χαλεπὸν ὄν*, et lepidissime (Sol. 27): se propter difficultatem quandam in notandis temporibus nullo pacto colloquium illud Croesi et Solonis dimissurum. — Aliqua tamen vitarum scriptoribus in temporum ratione semper concessa est licentia<sup>2)</sup>. Jam Plutarchus, quanquam ea usus licentia in annis computandis saepissime peccat, tamen non ita crebro in enarrandis singulis vitae partibus justam invertit rerum seriem: ita ut, si singulis capitibus singuli anni adscribantur, ea historiae scientia, quam adolescentuli habere solent, legendo hoc scriptore non conturbetur sed potius faciatur.

<sup>1)</sup> Sol. 19. Them. 27 *τοῖς δὲ χρόνοις δοκεῖ μᾶλλον (Ἐφῶρον) ὁ Οὐκρυδίδης συμμέλεισθαι* cet.

<sup>2)</sup> Optime Mommsenus (II, 145): in der geistreichen Darstellung dieses Krieges (des Zugurth.) von Salust ist die Chronologie mehr als billig vernachlässigt: quod iudicium non minus in Catilinam cadit.

Aliquot locis ordinem rerum esse inversum, concedendum est. Sic Philop. 17 de a. CLXXXVIII, deinde de a. CXCII disserit, Pyrrh. 21 alterum Luscini consulatum (a. CCLXXVIII) memorat ante pugnam Asculanam; Cat. 41 dicit, Lucam tres viros convenisse (quod m. Apr. a. LVI factum est) post Catonis reditum (i. e. extremo a. LVI), Cic. 43 Caesarem Octavianum Romam venisse (m. Apr. a. XLIII) post reditum Ciceronis (prid. Cal. Sept.), cet. Omnia quidem superat Per. 18—22, ubi hoc ordine res exponuntur: clades Tolmidae (a. CDXLVII), colonia in Chersonesum missa (a. CDLIII), Tolmidae expeditiones navales (a. CDLV et prox. a.) copiae Delphos missae, (circ. a. CDXLVIII), denique Euboeae defectio, (a. CDXLVI), quam a proelio Coronensi infelicissime avellit scriptor. Neque facile quisquam dispexerit, quid Plutarchus ad mores melius explicandos profecerit hac rerum distractione. — Plura errorum in temporum ratione exempla adjicere longum est. Hoc tamen constat, prodigia illa pravae notationis, quibus abundare ejus vitae vulgo dicuntur, „quibusque vel pueri offendantur“, raro inveniri: velut illud Agid. 10: *ὡς δὲ ἐτῶν ὁμοῦ τριῶν ἀκοσίων* (leg. *δύκωσ.*) *περὶ ἠρότος ἀξίου τῆς Σπάρτης βασιλέως*, (a. CCXLIII i. e. post Agesilai mortem CXVIII a.) vel Fab. 14, ubi post Fabii dictaturam memorat *ἔπαυσι — οἱ μὲν πρώτοι — Τερέντιος δὲ*, vel comp. Thes. Rom. 6 comp. Lyc. Num. 3, Sp. Carvillii divortium a. CCXXX a. U. C. factum esse<sup>1)</sup>, vel Lyc. 29, ubi a legumlatione usque ad Lysandrum V saecula numerat, cum Ages. 31 Heraclidarum incursionem, quam ante Lyncurgum II saeculis evenisse dicit, VI tantum saeculis ante Epaminondam ponat. Quibus quidem spinis ad exercendum adolescentulum acumen egregie uti licet.

<sup>1)</sup> invenisse videtur LXXX et minori cura legisse.

2. Alterum illud vitium, quod plutarchio vitarum generi Droysenus objecit, res ad rempublicam spectantes minus recte adumbratas esse quam mores atque ingenia clarorum hominum, magnam partem concedendum est. In difficilioribus rebus verum persaepe nec vidit nec dili-

gentius quaesivit: neque cum Catilina Jugurthaque neque cum Agricola eo in genere comparari possunt vitae Chaeronensis. Verum ne adsprasse quidem eum ad hanc laudem meminimus, (Nic. 1, Alex. 1.), quippe qui sui temporis Graecos in scribendo spectaret, quibus non republicae gerendae sed domesticarum virtutum excolendarum vita suppeditabat facultatem. Quod cum item in plurimos eorum adolescentium cadat, qui in nostris scholis erudiantur, quis est qui neget ad πολιτικός illas historias Thucydidis et Caesaris et Taciti nullam posse utiliorem lectionem accedere quam Plutarchi? Neque tamen ita peccat scriptor, ut prorsus discrepando a severioribus historicis adolescentium offendat iudicium: imo vero adolescentes plurima ex eo ad historiae scientiam adjlicent.

Jam quale illud sit vitium, uno duobusve exemplis demonstrari potest<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Alia breviter indicabo: Lycurgum et Laconum instituta quasi caeca admiratione celebrat. Dem. 17. Phoc. 12. 14—16. vix unum verbum est de praeclaro illo certamine, quod XIV per annos usque ad pugnam Chaeronensem de pace et bello Demosthenes et Phocio contiuo exercuerunt. Cic. 9. 34. paucissima de Inconstantia, qua Tullius et ante consulatum et a. LVI partes mutavit. Pomp. 54 nihil de Clodii nece, Sull. 6 Mar. 32 nihil de causis belli socialis, Sull. 33. 34 de omnibus rebus, quas Sulla in republica novavit, haec tantum: *καινοτομίας γενομένης ἐν τῇ πόλει*. Mar. 29 nihil de lege Apuleja agraria, atque adeo tota vita ne semel quidem Gracchorum sit mentio! Luc. 21 nihil, invito senatu Lucullum bella ex bellis sevisse itaque Caesari exemplum praebuisse; cet.

De speciosa illa libertate, quam T. Flamininus Graecis donavit, ridiculum in modum exultat scriptor, (Flam. 11) prorsus oblitus, libertate ab alia natione donata non erigi plerumque populos sed deprimi. Sic Demet. 8 Antigoni Graeciae liberandae consilium summis effert laudibus, sic Paul. 28 fere inepte dicit: *Μακεδόσιν ἀπέδοκε — τὸς πόλεις ἐλευθέρως οἰκεῖν καὶ αὐτονομίους*; ne verbum quidem addit, quid XX post-annis ex Macedonia ita discrepta factum sit. Quin etiam Neronem, qui *(ὡσπερ ἐπὶ πολέμῳ σταλείς* Dio C. LXIII, 11.) Graeciam rapinis et caedibus implevit, collaudat quod liberaverit Graecos (Flam. 12. De S. N. V. IV, 46, sublimi illo loco.) Quod eo magis miramur, quia ipse Plutarchus aliquot locis melius ea de re exhibet iudicium: ut Demet. 24 *τοιῶντα* (turpia) *ἔπραττον Ἀθηναῖοι, τὴν ἐλευθερίαν ἔχειν δοκοῦντες*. Pyrrh. 12 Pyrrhum narrat bene suasisse Atheniensibus, ne cui postea regi portas aperirent i. e. ut *ἄδωρα δῶρα* fugerent. Phoc. 32 quam malitiose δημοκρατίαν Polysperchon donaverit Atheniensibus, acute patefacit. Denique Arat. 47 non tacet, et populo, qui alterius praesidium expetat, ceterarum gentium Injurias expectandas esse. Quanto sapientius Plutarcho Polybius, qui totam Agelae Naupactii orationem a. CXXVII habitam in opus suum receperit<sup>1)</sup>!

<sup>1)</sup> V, 104. cf. Schorn, H. Gr. p. 171. Aemulatur illa Agelae oratio praeclarissimam ex thucydidiis, Hermocratis (IV, 59 seq.)

Similiter in delineandis optimatibus Romanorum nec nobis satisfacti nec sibi ipse constat. Plurima et publicae et privatae vitae nobilium vita exposuit. Minime celat, ad sanandam rempublicam lenissimum et ingeniosissimum a numine datum esse quasi medicum Caesarem; *μοναρχίας* necessitatem semper agnoscit: tamen, Catonem admirans ac praeclaro libertatis nomine occoecatus, (quae quidem Catonis tempore jam dudum interierat,) facere non potest quin intimo

pectore et optimatum causae faveat et Caesarem inique tractet: quo quidem in errore sentiendi non solum cum Cicerone, sed etiam cum Livio, Tacito, Shakspearo congruit<sup>1)</sup>. Detegit optimatum ignaviam: Mar. 29 in lege Apuleja comprobanda, Pomp. 25 in lege Gabinia, cum L. Trebellius intercessionem pollicitus timore conticuit, Pomp. 30 in lege Manilia, Cat. 23, cum Non. Dec. a. LXIII ad senatum de supplicio conjuratorum relatum est; Cat. 27. a. proximo in turbis a Metello excitatis; Cat. 44 (a. LIV), ubi Catonis acerbissimam vocem memorat: *ἐπαινούσης δὲ τῆς βουλῆς αὐτὸν ἐγὼ δ', ἔφη, ὑμᾶς οὐκ ἐπαινοῦ, κινδυνεύοντα στρατηγὸν ἐγκαταλιπόντας*<sup>2)</sup>. Aperit belli gerendi inscientiam nobilium Crass. 8. 9. Pomp. 17 (ubi vox illa Q. Philippi memorata est,) Mar. 11 dicit: in periculis nobiles consules nihil esse ad rem. Patefacit eorum implacabilem ulciscendi cupiditatem (Sert. 22), studia inimicitiarum quas vel in minutissimis rebus exercuerint (Tib. Gr. 13, ubi ridiculum illud Catonis factum addi poterat quod Dio C. habet XXXVIII, 7) turpissimas simulationis artes (ut luctus de Q. Antullii nece C. Gr. 14), puerilem vanitatem (ut Metelli, Sert. 22.)<sup>3)</sup> et sexcenta alia vitia. Non reticet de vesana nobilium luxuria et opum effusione<sup>4)</sup>; neque de venditione honorum atque provinciarum, quam impurissimi homines ac vel mulierculae exercuerint<sup>5)</sup>, neque quantopere ab optimatibus provinciae omnes vexatae sint atque exinanitae<sup>6)</sup>. Denique non celat, leges a L. Sulla constitutas, quibus tum optimatum nitebatur dominatio, ab ipsis optimatibus, non solum a Caesare esse impugnatas<sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> Rectius de optimatibus judicaverunt Salustius et Dio Cassius. Cf. Niebuhr (Vorles., herausgeg. v. Isler, p. 62.)

<sup>2)</sup> Sic Cic. ad Att. IV, 3: nunquam enim (Milo) — inerti nobili est crediturus.

<sup>3)</sup> Quae fides ejusmodi aristophanilis habenda sit Plutarchi narratunculis, ita judicat Mommsenus II, 195. III, 9: totam certe saeculi indolem optime ex iis perspicere. Quis autem ignoret, adolescentium memoriae nihil magis imprimi quam tales locos?

<sup>4)</sup> Cic. 10: *κατεπτώχευμένων εἰς θάλατρα καὶ δειπνα καὶ φιλαρχίας καὶ οἰκοδομίας, τῶν δὲ πλουτῶν εἰς ἀγενεῖς — συνεθήρηκῶν*.

<sup>5)</sup> Luc. 6 de Cethego et Precia.

<sup>6)</sup> C. Gr. 2. Sert. 6. *παράλαβὸν δὲ ἔθνη — πλεονεξία καὶ ὄβρις τῶν πεμπομένων ἐκάστοτε στρατηγῶν* cet.

<sup>7)</sup> Cat. 17. a. LXV Cato in sicarios a Sulla publice praemiis affectos inquit, ridente Caesare. c. 26. a. LXII Cato efficit, ut plebeculae rursus publice frumentum donetur. c. 28 Cato ipse sacrosanctam violat tribuni potestatem.

Jam quid de talis *ολιγαρχίας* eversione aequus judicabit scriptor? Nonne quod Cicero (jam Cal. Febr. a. LX) Attico scripsit: jam exclames necesse est, res R. diutius stare non posse? Ac saepe quidem ita judicavit Plutarchus: ut comp. Dion. Brut. 2: *δεομένοις ἔδοξε* (Caesar) *τοῖς πράγμασι μοναρχίας ὡσπερ ἰατρὸς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ δαίμονος δεδῶσθαι*, Pomp. 5. *εἰς τοῦτο προήγαγον αἱ συμφοραὶ τὴν πόλιν ὡς δουλείαν ἐπικειστέραν ζῆτεῖν ἀπογράσει τῆς ἐλευθερίας*<sup>1)</sup>. Verumenimvero, quia et principatus a Caesare constitutus nihil ei videbatur nisi, ut ipse dicit, „*δουλεία ἐπικειστέρα*“, et propter scelera insequentium principum totum oderat institutum<sup>2)</sup>, et nunquam ea de re acutius cogitavit, libertasne, etiamsi a Caesare subruta non esset, diutius durare poterit: Caesarem popularesque partes (praeter Q. Sertorium et, quod mirere, M. Anto-



nium) plerumque frigidissime, interdum cum odio tractavit. Sic Caes. 14 (= Pomp. 47) dicit: *εὐθὺς εἰσέφερε νόμους οὐχ ὑπὲρ προσήκοντας, ἀλλὰ δημίωρον τινὶ θρασυτάτῳ*, tanquam consule indignum fuerit, XX millia egenorum civium agricolae bonosque cives facere<sup>1)</sup>. Cat. 32. (a. LIX) *αἰσχρῶς καὶ ταπεινῶς ὑποδύμενος* (Caesar) *τὸν δῆμον*; Itaque saepius prave iudicat de illis temporibus<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> A. ad Her. II, 26: satius est uti regibus quam uti malis legibus. Cf. Plut. Cic. 10. Caes. 28. Cat. 47. Brut. 47. Pomp. 47.

<sup>2)</sup> Talem sensum praeferit Galb. 22 *τοὺς καλοὺς ἐκείνους καὶ δημοκρατικοὺς εἰς σύγκλητον ὄρκους ἀφέντες* (millites.) Acutius Tacitus H. I, 55: Senatus Populique R. obliterata iam nomina sacramento advocabant.

<sup>3)</sup> Ipse Plutarchus saepe docet, nulla re cives amantiore pacis reipublicae fieri quam proprio agello colendo! Phoc. 29. Num. 16. Pomp. 28. Philop. 4. Tamen carpit agrariam Caesaris legem.

<sup>4)</sup> Quin etiam, Livium secutus, praeferit illos tribunos pl., qui plebem adversus patres tutati sunt, haud raro injustissime increpat, ut Cam. 9. 36.; c. 39 frigidissime memorat Stolonis merita.

Quid quod Plutarchus, ipse non Romanus ac nobilis sed unus ex provincialibus, quos et optimates illi conculcarant et Caesar demum ceterique principes aliquantum sublevarant, et aequalis Trajani et Hadriani imp., qui omnes provincias paterna cura fovebant, ne uno quidem vitarum loco tam dolenter injurias deplorat provincialium quam Cicero facti<sup>1)</sup>? quod ne verbo quidem Caesarem ideo laudavit, quia paulo lenioris provincialium tractationis initium fecit? quod (Caes. 14) legem Juliam de sumtu provincialium minuendo omisit? quod idem scriptor ita agit, qui alioquin et ipse gratissimi animi fuit et grati virtutem animi praeter ceteras celebravit<sup>2)</sup>? Contra ea multis praedicat (Paul. 39), quam curam liberae reipublicae temporibus patroni clientibus suis provincialibus impenderint, prorsus oblitus, Caesaris tempore rarissime vexatis provinciis a patronis subventum, atque adeo interdum ab ipsis patronis vexatas esse provincias, ut Salaminios M. Brutus fenore oppressit<sup>3)</sup>. Tantum scriptor alioqui aequissimus, partium studio quodam ductus, a recta iudicandi ratione aberravit. Attamen cum Ciceronem, qui multo magis in hunc errorem incidit, nemo ideo a lectione scholarum exclusurus sit, ne Chaeroneusi quidem propterea extimescendum erit exilium. —

<sup>1)</sup> Il Verr. 1, 72 Audite, quaeso, iudices et aliquando miseremini sociorum cet. Vel Juvenalis plenior humanitatis ea quidem in re: VIII, 135: Si frangis virgas sociorum in sanguine cet. (cf. v. 89.)

<sup>2)</sup> Cf. Cim. 2. Phoc. 7. Caes. 5. Mar. 46. Cat. 71. Cic. 32. Thes. 4. Alex. 8. Flam. 8. Tim. 38. 39. Arat. 53. Lys. 23 (ubi Agesilaus ingrati animi arguitur!) al.

<sup>3)</sup> Cic. ad Att. VI, 1, 4. (cf. Drumannus in Bruto.) Plutarchus in Bruto de ea re tacet.

Jam de iis scriptoris virtutibus plurimis agendum est, in quas integras laudes licet conferre.